

**SECTIO TERTIA.**



**CARTARUM DE LUMBISUELE.**



# INCIPIUNT

## CAPITULA CARTARUM DE LUMBISUELE.

- I. Carta Sancti Foillani de allodio de Lumbisiola.
- II. Carta N. Cameracensis episcopi de eodem.
- III. Carta ejusdem de donatione Juete de Lumbisuele.
- IV. Carta Sancti Amandi de Lumbisiola.
- V. Carta P. Cameracensis electi de nemore quod Communio dicitur (hec scripta est cum cartis de Camberon, post IX cartam).
- VI. Carta Sonegiensis ecclesie de eodem et quibusdam aliis (hec scripta est cum cartis de Camberon, post IX cartam).
- VII. Carta ecclesie Lobiensis (hec scripta est in cartis de Camberon, post XII cartam).
- VIII. Carta B. comitis de conditione nostre ecclesie et Sancte Waldetrudis.
- IX. Carta ejusdem de advocacione de Lumb.
- X. Carta F. decani de Cirvia unde supra.
- XI. Carta ecclesie Sonegiensis de pratis de Lumbisuele et eorum censu.
- XII. Carta comitis de Overlau (hec scripta est cum Camberon. Cartis, post XII).
- XIII. Carta judicum Laudunensium de abjudicatione et de Sonegiis.
- XIV. Carta abbatis Ehamensis de allodio Walteri de Bassilli.
- XV. Carta E. de Hallut de nemore de Lumbisiola.
- XVI. Carta Domini E. de Aengien de eodem.
- XVII. Carta Sancti Adriani de Granmont de XXI bonariis terre.
- XVIII. Carta Cameracensis episcopi de eodem.
- XIX. Carta Domini Ostonis de Trasegnies de VI bonariis nemoris.
- XX. Carta fidejussorum elemosine domini Ostonis de Trasegnies.
- XXI. Carta comitisse de VI bonariis nemoris domini Ostonis de Silli.
- XXII. Carta domini E. de Trasegnies de confirmatione elemosinarum, donorum et emptionum sub ipso factarum reperies in cartis de Camberon, capitulo L.
- XXIII. Carta Sonegiensis ecclesie de numero terrarum nostrarum.
- XXIV. Carta domini E. de Trasegnies de III<sup>or</sup> bonariis nemoris.
- XXV. Carta comitisse confirmantis elemosinam E. de Trasegnies de X<sup>sim</sup> bonariis nemoris.
- XXVI. Carta Eustachii de Trasegnies et uxoris ejus de confirmatione nemoris de Silli.

XXVII. Sigillum N. de Brugis quod Adam de Arbra vendidit nobis unum bonarium terre et XIII<sup>im</sup> virgas.

XXVIII. Littere scabinorum de Aengien quod soror Ade de Arbre vendidit ecclesie Camberonensi quinque jorneria terre.

XXIX. Carta de eo quod J. de Hal vendidit nobis quoddam nemus.

XXX. Carta de eo quod Alardus dictus Gossiaus et Margherita..... dederunt nobis XII<sup>im</sup> boneria liberi allodii.

XXXI. Carta Eustachii de Rodio de XXX<sup>im</sup> bonceria nemoris *jornel et demi*, XV *verges mains* venditis a domino N. de Balluel.

XXXII. Carta de concordia inter nos et dominum de Trasegnies, super sex jorneria prati in loco qui dicitur al Aunoit sancti Dionysii.

XXXIII. Carta domini de Trasignies de prato Lygeri de Papenghien, nobis vendito.

XXXIV. Cyrographe de le Gras, ce que on fait à Gillekin de Hourlebeke de passeir et wydier sen bos, parmi nos bos c'on dist de Foulench.

XXXV. Cyrographe de un bonier de terre aquis, ki fu Jehan Bouset, tenant à plantich, ke chil de Cambron acquisent à Gilkin de Holrebeke à un de lees, et tenant al autre lees à Ryn Sourdel.

XXXVI. Item, cyrographe d'un bonnier de terre ki fu Ermegars le Thierie, gisant à Maussart et tenant au plantich dou Perfont-bruech, pendant ensamble.

XXXVII. Littera Gher. dou Bos, signeur de Lombize, en l'ocoison des mesiaux.

(Non compris dans la table) CXXXV. Donation à l'abbaye de Cambron des dimes de Samme et de Facuwez, par Engelbert d'Engghien.

## CARTARUM DE LUMBISUELE.

### I.

#### *Carta Sancti Foillani de allodio de Lumbisuele.*

(1133.) •

Nicholaus abbas, Walterus prior, Gossuinus supprior, totusque conventus Sancti Foillani omnibus fidelibus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Contigit sepe precedentium facta successorum levitate vel ignorantia variari, unde dignum duximus ut qua possumus cautione huic occurramus periculo, ne quod a nobis considerate factum est, cujuspiam inconsideratio mutetur vel deficiat. Notum itaque facimus, quod quicquid allodii, quicquid juris in territorio de Lumbisiola, videlicet in silva, in terra, in aquis et pascuis, Alardus Curtae Trewe, Gonterus de Sognies, Ogerus de Merbes et uxor ejus possederunt, legitime satis ecclesie nostre tradiderunt, et in possessionem liberam per manum Balduini Haynacensis comitis sub testimonio virorum nobilium firmaverunt. Consideratione itaque majoris utilitatis domus nostre, consilioque et assensu communi hec omnia sicut prescripta sunt vendidimus fratribus de Camberon in ordine Cyster-ciensi Deo famulantibus, et sicut quicte et sine ullius reclamacione possedimus, in possessionem liberam tradidimus, et sicut possumus et debemus canonice firmamus, et quicquid de jure suo vendito ecclesie debet ecclesia liberationis et defensionis nos exhibituros promittimus. Hujus rei testes sunt de domo nostra, Herbertus et alius Herbertus, Gualterus, Gilbertus, Robertus, Guarnerus, Stephanus sacerdotes, Dominus Francho

abbas de Alna, Domnus Arnolphus abbas et Balduinus monachus, sacerdotes, et praepositus de sancto Dionysio in Brocheroia. Actum in capitulo nostro, anno ab incarnatione Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> LIII<sup>o</sup>.

## II.

*Carta N. Cameracensis episcopi de eodem.*

(1153.)

Nicholaus per Dei misericordiam Cameracensium episcopus omnibus fidelibus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Debemus qua possumus ratione occasiones prevenire discordie, pacis servare concordiam. Ne igitur ea que nostris temporibus facta sunt ulla possint occasione turbari, memorie tradimus futurorum quod Nicholaus abbas de Sancto Foillano totusque conventus ejusdem loci communi consilio et assensu vendidit fratribus de Camberon in ordine Cisterciensi Deo famulantibus quicquid allodii, quicquid juris habebat in territorio de Lumbisiola, in terra, in silva, in aquis et pascuis, partem videlicet Alardi Corte Trewe, Gonteri de Sognies portionem, et partem Ogeri de Merbes et uxoris ejus, quas scilicet partes ab eisdem videlicet Alardo, Gontero, Ogero et uxore ejus in elemosinam legitime acceperat, libere et quiete per annos plures possederat. Quicquid igitur liberationis, quicquid defensionis de jure suo vendito debet ecclesia, hoc ecclesia de sancto Foillano predictis fratribus se debere super hac venditione professam est, et se exhibituram promisit. Ne hoc autem tam legitime factum, tam canonice firmatum, ullius temeritas ultra concutere audeat sub anathemate interdicimus. Sigilli nostri impressione munimus et testium subscriptione roboramus. S. Johannis, S. Alardi, S. Radulfi archidiaconorum, S. Hugonis decani, S. Johannis, S. Warini, Erlebaldi sacerdotum, S. Willelmi, Ulrici, Walteri diaconorum, Pipini, Anselmi, Hugonis subdiaconorum, S. Walteri abbatis de sancto Authberto, S. Godescalci abbatis de Hafflengen, S. Werri abbatis de Sancto Vedasto, S. Radulfi abbatis de Maroles. Actum anno Dominice incarnationis M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> LIII<sup>o</sup>.

## III.

*Carta ejusdem de donatione Juette de Lumbisiola.*

(1153 environ.)

Ego Nicholaus divina dispensatione ecclesie Cameracensium humilis minister, presentibus et futuris in perpetuum. Quia sepe quod a presentibus juste et bene terminatum est, in irritum revocare avara posterorum conatur malignitas, opere precium ducimus negotia nostris contracta temporibus, auctoritate nostri munire testimonii. Testamur ergo sub assertionem nostre imaginis, quod Juetta et proximi heredes sui, et mandiburnus suus Gossuinus quicquid habebant in Lumbisiola, in agris, pratis, silva et aquis, titulo venditionis et elemosine pro suis et predecessorum suorum animabus legitima et sollempni donatione, per manum liberorum virorum Theoderici de Gilengem, et Nicholai de Gage, ecclesie de Camberone donaverunt. Per manum quoque Balduini comitis de Henau, Theoderico de Linge, Karolo de Fraxino, Hannel de Cauren multis etiam diversarum conditionum presentibus istud negotium confirmatum est. Idipsum etiam in presentia personarum ecclesie nostre recognitum est, et sub earum testimonio confirmatum. S. Theoderici prepositi et archidiaconi, S. Johannis, Alardi, Ostonis archidiaconorum, S. Hugonis decani, S. Walteri cantoris, S. Gualteri, Johannis, Erleboldi sacerdotum, S. Bartholomei, Gualteri levitarum, S. Anselmi, Roberti sublevitarum, S. Parvini, sancti Sepulchri, Galandi sancti Authberti abbatum. Ego Eustachius cancellarius.

## IV.

*Carta abbatis Sancti Amandi de Lumbisiola.*

(Saint-Amand, 1163.)

Hugo secundus, Dei misericordia dictus abbas ecclesie Sancti Amandi omnibus fidelibus tam futuris quam presentibus in perpetuum. Sepius que a predecessoribus statuta sunt vel ordinata, successorum incuria vel

negligentia immutari vel depravari videmus. Ea propter notum facimus presentis cartae testimonio, quod ego et fratres ecclesie nostre ad petitionem venerabilis abbatis Gerardi de Camberon, communi consilio et assensu, fratribus de Camberon in ordine Cisterciensi crucem Christi portantibus concessimus quicquid juris nostri erat apud Lombisium et apud Lombisium in fundis, in terris, in pratis, in silva cum omnibus ad ea pertinentibus, ut ea ipsi in perpetuum habeant vel possideant, et ad sui nutum ordinent vel disponant, et fructum inde capiant. Concessimus nichilominus altare pertinens ad loca predicta cum omnibus decimis et oblationibus et justiciis ad ipsum altare pertinentibus, ea ratione ut ipsi secundum voluntatem suam presbiterum divina celebraturum ibi constituent et prebendam ei provideant, sinodalia autem episcopo Cameracensi et ejus ministris persolvant. Porro propter hoc beneficium quod de nostra ecclesia percipiant, communiter provisum est et firmiter constitutum ut infra octavas Natalis Domini centum solidos valentianensis monete singulis annis ecclesie nostre persolvant. Ad hec adjicimus quod si aliqua in posterum ecclesiastica vel secularis persona super hiis que Camberonensi ecclesie concessimus adversari vel dampnum inferre temptaverit, pro posse nostro quantum ratio poposcit tunc absque detrimento rerum nostrarum, opem et patrocinium ferre curabimus. Ut igitur quod presens continet pagina nullo tempore, nulla rerum mutatione sive ratione possit a nobis vel ab illis minui vel immutari, sigilli nostri sigilli et ecclesie de Camberon impressione munivimus et cyrographo confirmavimus, testiumque subscriptione roboravimus. Et hic est funiulus triplex qui difficile rumpitur. Signum Gerardi prioris Sancti Amandi, S. Ilfridi, S. Gualcheri, S. Hugonis et Johannis sacerdotum, S. Geraldii et Nicholai diaconorum, S. Dyonisii Theoderici Balduini subdiaconorum, S. Johannis et Gossuini acolitorum. Signum Roberti prioris de Camberon, S. Fastardi cellerarii, S. Gerardi subcellerarii, S. Alexandri et Gregorii diaconorum, S. Lamberti acoliti. Actum Elnone anno Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> LX<sup>o</sup> tercio.

## V, VI, VII, VIII.

*Carta B. comitis de conditione nostre ecclesie et Sancte Waldetrudis.*

(1197.)

Ego Balduinus comes Flandrie et Hainoic, notum et certum fieri volo universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum Montensis ecclesia beate Waldetrudis, quam in bonis suis tanquam ipsius abbas et advocatus tueri teneor et conservare, in quibusdam terris in potestate de Camberone villa Sancti Vincentii et in potestate de villa Lumbisa census annuos et jura haberet, que quidem per multa tempora ab antiquo possederat, census illos et omne jus, et omnem potestatem et dominationem in terris predictis Camberonensi ecclesie, quam tota dilectionis et familiaritatis gratia amplectebam, sub annuo censu quindecim solidorum Hainoensis monete annuatim infra octavas omnium Sanctorum a Camberonensi ecclesia Montensi ecclesie perpetuo solvendorum, meo interveniente consensu et consilio assignavit, ut ipsa Camberonensis ecclesia honorum illorum sub nominato censu libera et quieta gaudeat possessione. Ut autem pateat plenius in posterum quomodo bona illa a Montensi ecclesia ad Camberonensem ecclesiam prorsus devenerint, statutum fuit et firmatum, ut in cujuslibet abbatis Camberonensis institutione, XII<sup>im</sup> denarii Hainoensis monete Montensi ecclesie a Camberonensi ecclesia exsolvantur, per quos quidem duodecim denarios pro recognitione antique dominationis additos, census predictus quindecim solidorum nec augeri potest nec minui. Si quis autem super predictarum terrarum jure ac dominatione Camberonensem ecclesiam impedierit, et eam inquietando in causam traxerit, vel si Camberonensis ecclesia contra aliquem injuriosum exinde causam moverit, ecclesia Montensis coram iudice tam ecclesiastico quam laico quicumque fuerit ille, testimonium in castro seu villa Montensi viva voce debet proferre quod jus quamque dominationem in predictis terris habuerit, et quomodo jus omne suum suamque dominationem in illis Camberonensi ecclesie sub prenominate censu assignavit. Si vero per iudicem quemcumque causa hec contra ecclesiam Camberonensem ad querimoniam alicujus seu ab ecclesia Camberonensi contra quempiam alias quam Montibus per-



tracta fuerit, ecclesia Montibus non in propriis suorum canonicorum vel duarum personis, sed litteris suo sigillo signatis, testimonium jam dictum et expressum habet proferre. Ut autem Camberonensis ecclesia in predictis terris super omni jure cum omni tranquillitate perpetuo dominetur, et ut census nominatus quindecim solidorum, et duodecim denarii in institutione cujuslibet abbatis Camberonensis sine aliqua difficultate et detrimento persolvantur Montensi ecclesie, ea omnia tam a me et a Montensi ecclesia quam a Camberonensi ecclesia approbata, et scripto cyrographizato emendata sunt et communi sigillorum nostrorum munimine roborata. Cujus quidem scripti partem sigillo meo, et sigillo beate Waldetrudis firmatam, Camberonensis ecclesia sibi retinuit. Aliam vero scripti partem sigillo meo et sigillo Camberonensis ecclesie signatam, Montensis ecclesia sibi reservavit. De ecclesia Montensi testes Eustachius prepositus, Gillebertus prepositus, Sancti Germani custos et canonicus ecclesie beate Waldetrudis, Reinerus decanus et scolarius Sancti Germani, Nicholaus Nata, Godinus de Sancto Simphoriano, Romundus, Willermus, Nicholaus de Simri, canonici, Sara decana, Elizabeth de Abeciis, Sara de Ham, Hawidis Pidoceon, Maria de Hicca, Hawidis de Gaia, Mathildis et Agnes et Alidis de Fontainnes, Gela de Horuetis, Berta et Maria de Quarinum, et alie quamplures canonice. De ecclesia Camberonensi, testes Balduinus abbas, Lambertus prior, Leonius supprior, Willelmus cellarius, Lucas, Rogerus, Theodericus, Clemens, Radulfus, Benselmus et quamplures alii ejusdem conventus monachi et fratres. De curia mea testes Willelmus patruus meus, Nicholaus de Barbencione, Egidius de Trasignies, Hugo de Crois, Gillebertus prepositus Montensis, Walterus prepositus Malbodiensis et quamplures alii. Actum anno Dominice incarnationis M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> LXXX<sup>o</sup> VII<sup>o</sup>.

## IX.

*Carta ejusdem de advocacione de Lumbise.*

(Ronquières, novembre 1198.)

Ego Balduinus Flandrie Comes et Hainoie. Notum fieri cupio presentibus pariter et futuris quod super controversia que longo tempore versa-

batur inter abbatiam beate Marie de Camberone et Johannem militem de Lumbisa, pro terra et bosco que sunt de allodio et territorio Sancti Amandi, tantem predictus Johannes de Lumbisa, quicquid tam ipse quam pater ejus tenuerat et clamaverat in terra et bosco, in pratis et in pascuis, in aquis, in advocatione et dominio hominum, in talliis et omnibus proven-  
tibus omnino de predicto Sancti Amandi territorio nichil penitus juris seu reclamationis in posterum sibi vel successorum suorum alicui retinens in manu mea eo quod de meo sit feodo libere resignavit, et sibi abjudicans tercio eadem omnia sibi abjudicata fecit per meos homines qui hoc facere poterant et debebant, concedentibus hoc et laudantibus fratribus ejusdem Johannis Gossuino, Alexandro, Balduino et Eustathio. Ego itaque quicquid prescriptum est sicut prefatus Johannes resignaverat, in puram et perpetuam elemosinam integre, libere et pacifice possidendum assignavi, dedi, concessi, predicte abbacie beate Marie de Camberone. Quod ut majorem obtineat firmitatem sigilli mei appositione et testium subscriptione presentium roboravi. Signum Philippi comitis Namucensis. S. Henrici fratris mei. S. Egidii de Trasegnies. S. Eustachii de Rodio. S. Hugonis de Crois. S. Nicholai de Condato. S. Willelmi de Gumenies. S. Swaini de Ravie. S. Alexandri de Stainkirche. S. Ostonis de Arbora. Actum apud Runcheriam, anno ab incarnatione Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> LXXXX<sup>o</sup> VIII<sup>o</sup>, octavo Idus novembris.

## X.

*Carta F. decani Cirvie unde supra.*

(1198.)

Ferinus Dei gratia decanus de Chirvia, totumque ejusdem loci capitulum, universis Christi fidelibus in perpetuam salutem. Quum frequenter laudabiles predecessorum actiones avara nititur infringere presumptio, tam nefario molimini obviantes quod pie ac juste a fidelibus gestum est dignum duximus veraci scripto tradere, et posterorum noticie commendare. Igitur ad universitatis noticiam pervenire cupimus, quod Johannes miles de Lombisa mera et libera voluntate sua solo divine dilectionis intuitu, quicquid tam ipse, quam pater ejus tenuerat et clamaverat in

terra et bosco, in pratis et pascuis, in aquis, in advocacione et dominio hominum, in talliis et omnibus proventibus omnino, in territorio et allodio Sancti Amandi, nihil juris seu reclamacionis in posterum sibi vel successorum suorum retinens alicui per manum domini comitis Balduini Flandrie et Hainoie eo quod de suo feodo sit in puram et perpetuam elemosinam ecclesie beate Marie de Camberone integre, libere et pacifice possidendum concessit ac donavit, concedentibus hoc et laudantibus fratribus ejusdem Johannis Gossuino, Alexandro, Balduino et Eustachio, sicut in carta prefati comitis sigillo et testibus roborata plenius continetur. Ceterum cum precedentibus volumus annotari, quod prefatus Johannes de Lombisa, divina preventus gratia cupiens lucrari beneficia que in eadem facta fuerint abbatia, duas garbas decime quas habebat per totam parochiam de Lombisa, per manum predicti comitis eadem lege in puram et perpetuam elemosinam prefate ecclesie de Camberone donavit, concedente hoc et laudante matre ejusdem Johannis Gertrude, et sollempnem ac legitimam in presencia lotius capituli nostri donationem faciente. Quod ut majorem obtineat firmitatem totam actionem sigilli appositione et testium subscriptione corroborare curavimus excommunicationis sententia ferientes quemcumque predictae abbacie gravamen vel molestiam ulterius inferre presumpserit. Signum Alardi de Sirau. Signum Gerard de Rovinies. S. Stephani de Hirechonweis. S. Theoderici de Ormenies. Signum Bartholomei de Lombise. S. Florentii de Chirvia. S. Briccii de Gillengien. S. Nicholai de Lignea. S. Deiamici de Gisbeka, sacerdotum. Actum anno Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XC<sup>o</sup> octavo.

XI, XII.

*Carta ecclesie Sonegiensis de pratis Lumbisiole et eorum censu.*

(1199.)

G. Senogiensis prepositus, J. decanus et quod cum eis est capitulum, universis tam presentibus quam futuris in perpetuum, universis Christi fidelibus notum facimus quod nos concessimus ecclesie beate Marie de Camberone, prata quam habebamus propria in territorio de Lumbisuele, sub annuo censu XII<sup>cim</sup> solidorum in festo beati Stephani prothomartiris solven-

dorum. Ut autem hec donatio rata et inconvulsa permaneat, idipsumque de consensu capituli nostri et capituli eorum rationabiliter actum est, presenti pagina dignum duximus annotare, et cetera tam sigilli nostri quam sui appensione roborare, testes etiam subscribere. Signum Gossuini prepositi. S. Johannis decani. S. Balduini custodis. S. magistri Helie. S. Nicholai de Geta. S. Johannis de Montibus. S. Thome de Aengien. S. Radulfi. S. Alardi, canonicorum. Actum anno verbi incarnati M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> nonogesimo nono.

## XIII.

*Carta judicum Laudunensium de abjudicatione et de Sognies.*

(Août 1202.)

Ego S. de Vallibus, et Th. de Provino et A. de Sancto Georgio sacerdotes et canonici Laudunenses universis in perpetuum. Cum a domino papa super causam que vertebatur inter abbatem et conventum de Cambron, ex una parte, et A. laicum de Sonégiis ex altera, commissionem suscepissemus, constitutis in presentia nostra partibus allegationes hinc inde diligenter audivimus, et cum A. laicus peteret hereditatem quandam de Lombisuele tam in praediis cultis quam in pratis et nemoribus, ad se, ut dicebat, de jure pertinentem, et abbas e contrario prescriptione quadragenaria et consuetudine terre illius, et confirmatione bone memorie quondam Cameracensis episcopi sese tueretur, nos auditis testibus et publicatis atestationibus super prescriptione, in scriptis etiam instrumentis ejusdem abbatis super confirmatione predictae possessionis, pro ipso abbate et conventu suo, communicato consilio tandem sententiam protulimus, et A. laico totam hereditatem quam petebat abjudicavimus perpetuum ei silentium imponentes. Postea vero consilio nostro et exhortatione, intercedente etiam domino He. abbate de Dunis, viro venerabili qui tunc presens erat, ipsum A. ad hoc induximus ut de injusta vexatione ab ipso abbate de Cambron, et priore veniam peteret, et se fidum adiutorem ejusdem monasterii pro posse suo contra violentos invasores ejusdem hereditatis promitteret, et legitimam ei garandiam ferre sponderet. Hec omnia sicut presenti scripto inserta sunt, propter temerariam malignantium cupiditatem sopien-

dum necessarium duximus confirmare et memorie posterorum commendare, insuper ad futurorum cautelam sigillorum nostrorum appensione communire. Actum anno Verbi incarnati M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> II<sup>o</sup>, mense augusto.

## XIV.

*Carta abbatis Ehamensis de allodio Walteri de Bas Silli.*

(1150.)

Ego Snellardus Dei gratia Eiharaensis abbas, notificari volo tam presentibus quam futuris quod totum allodium, quod ex hereditario jure Walteri de Bassilli in parrochia de Cambron possedimus, communicato consilio capituli nostri, ecclesie sancte Marie et abbati ejusdem ville, tum in elemosina, tum in venditione, perpetuo possidendam donavimus. Et ne in futurum quispiam perverse voluntatis tactus instinctu, huic tam legitime donationi obviare conetur, presentem cartulam tam sigilli nostri impressione quam necessariorum testium subsignatione munire dignum duximus atque roborare. S. monachorum nostrorum : S. Godescalci prioris. S. Wilhelmi, item Wilhelmi. S. Roberti, item Roberti. S. Raingeri. S. Nicholai, Franconis, Sigeri, Arnulfi. Item Arnulfi, Balduini, Hugonis, Bernardi, et ceterorum. Actum est hoc anno Verbi incarnati M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> L<sup>o</sup>, indictione XIII, epacta XX, concurrente VI.

## XV.

*Carta domini Egidii de Hallud de nemore de Lumbisuele.*

(Mars 1222.)

Ego Egidius de Hallud notum facio universis tam presentibus quam futuris, quod cum karissimus frater meus Nicholaus de Hallud ecclesie beate Marie de Camberone, super quodam nemore de Lumbisiola malo utens consilio aliquamdiu injuriatus fuisset in eo ligna incidendo, et alia dampna ei inferendo, tandem bonorum consilii acquiescens publice recognovit dicte ecclesie se injuriam fecisse, nemus predictum liberum et

quietum coram multis ei dimittens, limites et metas inter terram suam et nemus sepedictum existentes, se ratos in perpetuum habiturum prestitis fide et juramento firmavit, et quod nunquam amplius in perpetuum super hiis memorate ecclesie calumpniam aut vexationem dampnosam inferret vel inferri faceret bona fide promisit. Porro si aliquis ausu non licito ecclesiam prenominatam de nemore supradicto presumeret impugnare, ego Egidius de Hallud omnem injuriam dicte ecclesie hujus rei occasione illatam pro posse meo, consilio et auxilio bona fide repellere festinarem. Ad horum omnium robur et evidentiam presentem paginam sigilli mei appensione et testium subscriptione confirmari feci. Testes vir nobilis, Engelbertus, dominus de Aengien, Osto de Arbra, Theodericus de Hoves, Walterus de Longa Roa, Ingelbertus frater ejus, Walterus de Musain, Willelmus de Montegni, Wido de Atra-milites. Item domnus Sigerus abbas de Camberone, Servatius prior, Acharius cellerarius, Wido et Johannes, conversi de Camberone. Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XX<sup>o</sup> II<sup>o</sup>, mense martii.

## XVI.

*Carta E. domini de Aengien de eodem.*

(Mars 1222.)

Ego Engelbertus de Aengin notum facio universis tam presentibus quam futuris quod cum vir nobilis, Nicholas de Hallud, ecclesie beate Marie de Camberone super quodam nemore de Lumbisiola aliquamdiu injuriatus fuisset in eo ligna incidendo et alia dampna ei inferendo tandem bonorum consiliis acquiescens publice recognovit dicte ecclesie se injuriatum fuisse, nemus predictum liberum et quietum ei dimittens, limites et metas inter terram suam et nemus prefatum existentes se ratos in perpetuum habiturum prestitis fide et juramento firmavit, et quod nunquam super hiis dicte ecclesie calumpniam aut vexationem inferret vel inferri faceret bona fide promisit. Ad hec omnia firmiter in perpetuum observanda idem Nicholas virum nobilem fratrem suum, Egidium de Hallud, obsidem et fidejussorem constituit ita quod si in aliquo horum prefata ecclesia fuerit lesa et de ipso et de terra sua tam in foro ecclesiastico quam

seculari justiciam libere poterit postulare. Hujus rei testes sunt Egidius de Hallud, Osto de Arbra, Theodericus de Hoves, Watterus de Longa Roa, Ingelbertus frater ejus, Walterus de Mussain, Wilhelmus de Montegni, Wido de Atra, milites, item domnus Sygerus abbas de Camberone, Servatius prior, Acharius, cellerarius, Wido et Johannes conversi de Camberon. Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXII<sup>o</sup>, mense martii.

## XVII.

*Carta abbatis S. Adriani de Geraumont de viginti et uno boneriis terre.*

(Juillet 1225.)

Ego Theodericus divina patientia dictus abbas Sancti-Adriani in Gerardi-monte, totiusque ejusdem ecclesie conventus, notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod infra parrochiam de Thorincourt in territorio quod dicitur de Durmont viginti unum bonarios parum plus minusve ab antiquo possedissemus, ad majorem utilitatem ecclesie nostre de eadem terra alibi promovenda eandem terram libere et absolute de consensu omnium nostrorum ecclesie de Camberon vendidimus, jure hereditario perpetuo possidendam. Quia vero duas gerbas decime de eadem terra ratione juris patronatus de Thorincourt percepimus, dictas duas garbas memorate ecclesie Camberonensi concessimus in perpetuum sub censu annuo XII<sup>cim</sup> denariorum in festo beati Martini ecclesie nostre solvendorum. Ut autem hec omnia que tam utiliter quam pie gesta sunt, rata et inconvulsa perpetuo perseverent, presentem cartam scribi fecimus, et eam sigillorum nostrorum appensione duximus roborandam. Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XX<sup>o</sup> V<sup>o</sup>, mense julio, VIII<sup>o</sup> idus ejusdem.

## XVIII.

*Carta Cameracensis episcopi de eodem.*

(Juillet 1225.)

Godefridus Dei gratia Cameracensis episcopus, universis Christi fidelibus presentes litteras visuris salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod venditionem terre de Durmont site infra parrochiam de Thorincort xx<sup>ti</sup> unius bonariorum plus vel minus et accensam duarum garbarum decime ejusdem terre quam ecclesia Sancti-Adriani de Gerardimonte ecclesie de Camberone de communi consensu fecit, sicut in scripto exinde confecto continetur, ratum et gratum in perpetuum habemus et auctoritate pontificali confirmamus. Actum apud le Potien. Anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXV, mense julio, viii idus ejusdem.

## XIX.

*Carta domini Ostonis de Trasnignies de vi boneris nemoris nobis collatis in elemosinam.*

(Août 1230.)

Ego Osto dominus de Silli notum facio omnibus presentes litteras inspecturis, quod ego spontanea et liberali voluntate motus, pro remedio anime mee et dilecte uxoris mee, nec non et antecessorum meorum contuli ecclesie beatissime Dei genitricis Marie de Camberone, Cysterciensis ordinis, in puram et perpetuam elemosinam sex bonerias nemoris mei de Silli, tam fundum quam vestituram, tenentes ad nemus memorate Camberonensis ecclesie, quam habet apud grangiam suam de Lumbisuele, quam elemosinam dicte ecclesie tradidi jure perpetuo possidendam, coram plurimis viris nobiles paribus meis, et hoc de consensu et laudamento domini mei F. illustris, Flandrie et Hainonie comitis, ita tamen quod si heredes mei qui nondum ad etatem pervenerunt legitimam, hanc donationem postea impedire vellent, dictas sex bonerias nemoris redimere tenerentur, ab ecclesia supradicta de ducentis libris parisiensibus, et tunc



dictum nemus nudum reciperent, sicut nudum ecclesia Camberonensis illud recepit. Quod ut hoc ratum et firmum permaneat in perpetuum presentes litteras sigilli mei appensione emisi roboratas. Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> tricesimo, mense Augusto.

## XX.

*Carta fidejussorum elemosine domini Ostonis de Trasignies.*

(Août 1230.)

Osto dictus Avunculus, Th. de Hamedeia, W. de Kieveraing et N. filius ejus et E. li Bruns, milites, universis presentes litteras visuris salutem in Domino. Universitati vestre declaramus, quod vir nobilis Osto dominus de Silli liberaliter et benigne contulit Camberonensi ecclesie, Cysteriensis ordinis, pro ejus anime remedio, et dilecte uxoris sue necnon et suorum antecessorum, in puram et perpetuam elemosinam, sex bonerias nemoris sui de Silli tam fundum quam vestituram, tenentes ad nemus quod dicta ecclesia Camberonensis habet apud grangiam suam de Lombisuele. Quam elemosinam prefatus O. vir nobilis supradicte ecclesie contulit in presentia et sub testimonio plurimorum virorum nobilium parium suorum de consensu et laudamento domini sui F. illustris Flandrie et Hainonie comitis, et quum heredes prefati O. viri nobilis nondum ad etatem pervenerunt legitimam, si hanc donationem postea impedire vellent, et retinere dictam elemosinam, dictas sex bonerias nemoris redimere tenerentur ab ecclesia memorata, de ducentis libris parysiensibus, et tunc dictum nemus nudum reciperent, sicut nudum ecclesia Camberonensis illud recepit, et inde fidejussores existimus pro dicto O. viro nobili erga ecclesiam Camberonensem supradictam. In cujus rei testimonium presentibus litteris sigilla nostra apponi fecimus. Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> tricesimo, mense Augusto.

## XXI, XXII.

*Carta comitisse de vi boneriis nemoris domini de Silli.*

(Courtrai, 1233.)

J. Flandrie et Hainoie comitissa universis presentes litteras inspecturis salutem in omnium Salutari. Universitati vestre notum facio quod donationem illam quam vir nobilis Osto dominus de Silli, pro anime sue remedio, et dilecte uxoris sue necnon et suorum antecessorum in presentia et sub testimonio plurimorum virorum nobilium parium suorum, ecclesie Camberonensi in puram elemosinam contulit, videlicet sex bonerias nemoris sui de Silli tam fundum quam vestituram, tenentes ad nemus quod dicta Camberonensis ecclesia habet apud grangiam suam de Lombisuele, quam donationem pie memorie dominus meus F. quondam Flandrie et Hainoie comes, in litteris a predicto O. viro nobili super hoc ecclesie memorate collatis dicitur laudasse, sed quam morte preventus minime confirmavit, ego tanquam domina terre dictam elemosinam prefate ecclesie presentium auctoritate confirmo. Si vero hanc donationem heredes prefati O., qui tempore quo facta est donatio, ad legitimam non pervenerant etatem, vellent in posterum impedire et eam retinere, dictas sex bonerias nemoris redimere tenerentur ab ecclesia supradicta de ducentis libris parisiensibus, et tunc dictum nemus nudum recipent, sicut nudum ecclesia Camberonensis illud recepit. In cujus rei testimonium litteras presentes sigilli mei feci appensione muniri. Datum apud Curtracum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> III<sup>o</sup> dominica infra octavas Assumptionis beate Virginis Dei genitricis Marie.

## XXIII.

*Carta Sonegiensis ecclesie de numero terrarum nostrarum.*

(Janvier 1242.)

Sachent tout cil ki sunt et ki seront et ki cest escrit veront, que leglise de Cambron tient en deus pieces de leglise de Songnies a le cort a Lombisuele, a quarte garbe, XXI bonniers et demi et deus verges, en une piece

deseure le Caisnoit, **iiii** bonniers, en lautre piece deseure le Vivier, **xviii** bonniers et demi et deus verges. De ces **xviii** bonniers et demi et deus verges, **i** avoit **ix** bonniers et demi, et demi jorneil, ki toudis estoient a quarte garbe a ciaus de Songnies, et li remanans, si cum il fut aquis par pieces, fu mis par lassent del eglises a quarte garbe. Et tout en le piece devant dite deseure le Vivier, et gisoit avant par pieces, si cum il sensieut entre le jardin de Lombisuele et le pire Danghien, **iiii** bonniers, de le tenure Sohier de Foulench, de le tenure dame Bertain de Gondregn[ies], **iiii** bonniers et demi et **xxi** verge, de le tenure Wilart de Lombise, demi bonier et **xxi** verges, entre le Caisnoit de Lombisuele et Lombise, bonier et demi et **xxi** verges, et quatre vins verges et **iiii** verges ki gisoient deles Lombisuele et ciste chose est faite par lassent des eglises devant dites, et saeles de leur saiaus, por chou quele soit ferme et estable a tousjours. Datum anno Domini **M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup>** quadragesimo secundo, mense januarii.

## XXIV.

*Carta domini Egidii de Trassignies de quatuor boneriis nemoris nobis collatis.*

(Avril 1242.)

Egidius de Trasegnies et de Silli dominus, universis presentes litteras inspecturis salutem. Noveritis quod cum nobili muliere Agnete matre mea sublata de medio, vir nobilis bone memorie Osto pater meus quondam de Trasegnies et de Silli dominus, ecclesie Camberonensi pro remedio anime dicte Agnetis et sue sex bonaria nemoris et postmodum laborans in extremis quatuor in fundo et superficie liberaliter contulisset in puram et perpetuam elemosinam ab eadem ecclesia perpetuo possidendam nichil juris sibi vel heredibus suis in dicto nemore retinendo, sed totaliter transferens in ecclesiam prenominatam, ego E. et Osto frater meus, filii et heredes sano freti consilio, dictas donationes laudavimus, approbavimus, laudamus in omnibus et per omnia et approbamus, et hec sub testimonio competente ad hoc evocato, promittentes nos per nos vel per alium de cetero contra premissa vel aliquid eorum non contraventuros. Nemus vero dictum traditum est a nobis mensuratum et deliberatum dicte ecclesie et situm in

bosco de Silli, tenente ad nemus de Lumbisuele. In cujus rei testimonium et munimen presentes litteras prenominate ecclesie de consensu fratris mei Ostonis tradidi sigilli mei munimine roboratas. Datum et actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> II<sup>o</sup>, mense aprili.

## XXV.

*Carta M. comitisse confirmantis elemosinam domini Egidii de Trassignies de decem boneriis nemoris de Silli.*

(Février 1243.)

Ego Margareta, Flandrie et Hainoie comitissa, notum facio universis presentes litteras inspecturis quod Egidius, dominus de Trasegnies, et Osto frater ejus, filii pie memorie viri nobilis Ostonis quondam domini de Trasegnies, pro remedio animarum ejusdem patris sui et matris sue et antecessorum suorum, ecclesie beate Marie de Camberone contulerunt in elemosinam decem boneria nemoris sui de Silli, nemori cujusdam grangie Camberonensis nomine Lombisuele contigui, jure perpetuo possidenda. Et quum dictum nemus sic collatum de me tenebatur in feodum, ego ad preces dictorum E. et O. dictam elemosinam tanquam legitime factam, laudavi et approbavi, eamque tanquam domina superior ecclesie Camberonensi attestacione presentium confirmavi. Ut autem hec omnia firma et inconcussa permaneant, presentes litteras sigilli mei feci munimine roborari. Actum et datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> V<sup>o</sup>, mense februario.

## XXVI.

*Carta domini Eustachii de Trassignies et uxoris ejus de confirmatione nemoris de Silli.*

(Juillet 1256.)

Ego Eustachius miles dominus de Trasegnies, notum facio universis tam presentibus quam futuris quod cum vir nobilis Osto, quondam dominus de Silli, ecclesie beate Marie de Camberone, cysterciensis ordinis, contulisset

in puram et perpetuam elemosinam sex bonerias nemoris sui de Silli, tam fundum quam vestituram, tenentes ad nemus ejusdem ecclesie quod habet apud grangiam suam de Lombisuele, et dictum nemus de consensu et laudamento clare memorie domini sui F. Flandrie et Hainoie comitis, coram pluribus viris nobilibus paribus suis dicte ecclesie tradidisset jure perpetuo possidendum, ita tamen quod si heredes ejus qui nondum ad etatem legitimam pervenerant hanc ejus donationem processu temporis impedire vellent, dictas sex bonerias nemoris ab eadem ecclesia de ducentis libris parisiensibus redimere tenerentur, tuncque dictum nemus nudum reciperent sicut nudum illud accepit ecclesia supradicta. Et super hujusmodi donationem viri nobiliores Osto dictus Avunculus, Th. de Hamaidia, W. de Kieveraing, et N. filius ejus, et E. li Bruns, milites, pro dicto domino Ostone erga dictam ecclesiam fidejussores se constituissent. Postmodum quoque memoratus Osto alias quatuor bonerias nemoris dictis sex boneriis contiguas eidem ecclesie in puram et perpetuam elemosinam contulisset nichil juris sibi vel suis heredibus retinens in predictis, sed totaliter ea transfrens in ecclesiam prenominatam, atque has donationes predictas viri nobiles Egidius et Osto filii ejusdem domini Ostonis per omnia approbasent et laudassent, promittentes bona fide sub testimonio competenti, quod nec per se nec per alium contra dictas donationes venirent, et postea illustris domina Margareta Flandrensis et Hainonensis comitissa dictas decem bonerias nemoris quae de ipsa tenebantur in feodum, prefate ecclesie tanquam superior domina perpetuo tenendas confirmasset et post hec omnia vir nobilis dictus Egidius dominus de Trasegnies, prefati domini Ostonis filius, laborans in extremis, alias quatuor bonerias nemoris dictis decem boneriis contiguas sepedicte ecclesie per se suisque omnibus in elemosinam legando dedisset, ego Eustachius cum nobiliorem mulierem Agnetem dicti domini Egidii filiam accepissem uxorem, omnia et singula que super dictis donationibus quatuordecim boneriarum nemoris superius sunt expressa, de consensu et voluntate dicte uxoris mee, approbavi totaliter et laudavi, promittens bona fide quod nunquam per me aut per alium contra predicta veniam, nec artem queram nec ingenium per quod in prejudicium et gravamen Camberonensis ecclesie premissa vel aliquid premisorum oporteat retractari. Insuper si super predictis seu aliquod predictorum ad utilitatem dicte ecclesie aliquid adhibenda fuerint vel agenda,

ego ad hec diligenter et fideliter facienda me obligo, prout ab abbate de Camberone vel certo ejus nuntio super hoc fuero requisitus. Renuntiavi autem super premissis omnibus et singulis omni auxilio juris tam canonici quam civilis, omni consuetudini et statuto loci, et patrie, et omni actioni tam personali quam reali et omnibus aliis per quod super predictis dictam possem ecclesiam molestare. In testimonium autem et munimen omnium predictorum, sigillo meo et sigillo prefate uxoris mee, que ad hec omnia et singula firmiter observanda se nichilominus obligavit, presentes feci litteras roborari. Actum et datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> L<sup>o</sup> sexto, mense julio.

## XXVII.

*Sigillum domini N. de Brugeletes quod Adam de Arbra vendidit nobis unum bonarium terre et xiiii virgas.*

(Janvier 1259-1260.)

Ego Adam, filius Theoderici de Arbra, notum facio universis tam presentibus quam futuris, quod ego viris religiosis abbati et conventui de Camberon, Cystericiensis ordinis, vendidi unum bonarium et quatuordecim virgas et dimidium terre que tenebam in liberum allodium in loco qui dicitur a le Bouverie, dictamque terre quantitatem reportavi et tradidi in manus eorum jure perpetuo ab ipsis in liberum allodium possidendam, cedens eis et werpiens semel secundo ac tercio quicquid juris in eadem terre quantitate michi meisque competebat heredibus, in presenti, et competere poterat in futuro. Et hec omnia feci per eos qui in eadem blestra tenebant allodia, nec non et per homines nobiles et liberos. Siquidem ad hoc faciendum presens affuit Helvidis soror mea, tanquam allodiaria que etiam ibidem recognovit nichil se juris habere nec posse de cetero reclamare in dicta terra vendita; presens etiam fuit tanquam allodiarus Michael del Bruec. Ad hoc quoque et propter hoc fuere presentes homines nobiles et liberi videlicet dominus Egidius de Berlainmont, Johannes, filius domini Nicholai de Brugeletes, Colardus, Gossuinus et Gaufridus, fratres Mathei de Brugeletes, et Sigerus de Papengien. Preterea coram omnibus istis et multis aliis approbavi et laudavi venditionem quam fecit pater meus cum dictis abbate et conventu de quatuor bonariis terre tenentibus ad magnam

viam que venit de Torincort, et renuntiavi calumpnie quam eis opposueram de viis et fossatis, dicendo quod vie et fossata inter illa quatuor bonaria terre debent includi et computari, et recognovi quod ultra vias et fossata debent sepedicti abbas et conventus tenere illa quatuor bonaria terre integraliter et plenarie, prout ea tenuit pater meus, et cognovi quod in dicta objectione nichil juris habueram nec habebam. Ne vero super premissis aliqua deinceps possit contentio suboriri, presentes litteras, quia sigillum non habeo, sigillo viri nobilis Nicholai, domini de Brugetes, roborari feci, dictisque religiosis tradidi conservandas. Actum ad portam de Camberone, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> L<sup>o</sup> nono, mense januario.

## XXVIII.

*Littere scabinorum de Aengien, quod soror Ade de Arbra vendidit nobis quinque jorneria terre.*

(Juin 1261.)

Nous eschevins de Ainghien, Peter Kuene, Gerars del Gheine et Watiers li Tainteniers, faisons a savoir a tous cheauls ki sont et ki a venir sont, ke damoisele Helvis, suer Adam de Arbre, a vendut a chiauls del abbie de Cambron, v jorneis de tere pau mains, pau plus, parmi xvii livres de blans le bonnier, et se doit damoisele Helvis son fil faire loer che markiet et chestes convenanches, et chiauls del abbie de Cambron metre ens les v jorneis de tere devant dite loiaument et par loi, lequeil jour que ses fuis sera venu a son aage. Apres sil estoit cose que li fuis damoisele H. devant dite moroit anchois kil venist a son aage, Adans de Arbre sor cui la tere devant dite eskeroit, doit livrer che markiet et chestes convenanches. Sil estoit cose que damoiselle H. et Adans de Arbre ses freres ne faisoient tout ensi, damoisele H. doit a chiauls del abbie de Cambron lx livres de blans de loial monnoie de Hainau. De chou a fait Adans de Arbre se dester et en dest mimes pleges<sup>1</sup>, apres en dest pleges mesure Jakemes de Ham et Watiers li maires de Ainghien, et Gossiaus del Liesebeke et Colins de Fresinghien, et se doit Adans de Arbre tous les pleges devant dis, quiter de ceste ple-

<sup>1</sup> *Pleges*, pleige, caution.

gerie sains damage par lor plain dit. Et pour chou que cheste cose soit ferme et staule, avons ces letres saieles de nostres saiauls. Chou fu fait lan del Incarnation Nostre Seigneur Jhesu-Crist mil CC LXI, el mois de junius.

## XXIX.

*Carta de eo quod Johannes de Hal vendidit nobis quoddam nemus.*

(Février 1274.)

Jou Jehans de Hal, fuis Watier de Wodebruch, ki ai a feme Margaritain, le fille Willaume Coteriel de Horues, ki fu fach a savoir a tous, ke com il fust ensi ke parmi cest mariage ke jou ai dit ewisse et tenisse en franch alluet, bos ki gist en teil maniere, ke dune part li est li bos de Cambron ki monte a leur court de Lumbisuele, et dautre part li bos le dame de Aengien, et en lautre leis dune part li est li bos Philippron de le warde, et dautre part li bos le dame del Grathich, jou tout cest bos si com il gist devens ces termines vendi et ai vendu pour men plus grant pourfit al abbeite et au couvent de Cambron del ordene de Cystiaus, ki bien men ont payet. Et pour chou ke cest cose fust plus sollempnelement faite et plus achiertes, jou ving en present, la ou pour chou faire estoient appeleit et assanleit haut home et franch home, dont li aucun estoient allowir, ce furent mesire Ewistaches del Rues, sires de Trasegnies et messires Thieris et Arnous, soi frere, messire Jehans de Gauwre, sires de Herimeis, Ewistaches, sires de Lens et Pieres ses freres, messires Pieres de Torincourt, Bauduins de Offembais, Thieris de Ochikerke et Jehans, appelleis Trasegnies. Par devant tous ces jou reportai en le main labbeite et le couvent de Cambron entierement tout celui bos en fons et en comble et tout le droit ke jou i avoie et pooie avoir et tout chou ki a moi et a mes oirs i aferoit et pooit aferir et tout chou werpi jou par main et par bouke, une fois et autre et tierce, et tout le reportai sus al abbeite et au couvent de Cambron pour tenir a tousjours en franch alluet. Et la meismes je renunchai et bien i renunche encore et adies a tout secours de droit ausi bien de Sainte Eglise, com de loi mundaine, et a tout confort ki venir poroit de aucune acoustumanche del liu, ou del pays, ou de aucun estaulissement ou de aucun privilege vies et noviel, et brie-



ment a toutes escampes et a toutes okisons et encore a toutes raisons, ki a moi et a mes hoirs poroient valoir a ces choses devant dites, en tout ou en partie, retraitier ou rappelleir ou anientir. Et en le fin tant en fis et tant en dis et en fu et est dit et fait ke cil haut home ke devant sont nommez, disent pour jugement et pour droit ke jou cest vendage peut bien faire, quar encore leur fu la bien monstret ke jou celi de Margaritain avoie oir de men cors, par quoi jou le peut mieus faire, si com il disent et voirs est. Et encore disent il par jugement et pour droit ke jou de cest bos et de tout le droit ke i avoie jou estoie et sui bien desheriteis et par loi, et jou et mi oir ni poons jamais rien clameir par droit, et ke leglise de Cambron en est bien ahiretee, et par loi, pour tenir a tousjours en se droite proprietieit. Et pour chou ke jou nai de propre saiel, li aucuns<sup>1</sup> de ces haus homes ki devant sont nommeit, pour mi et a me requeste ont mis leur saiaus a ces letres, ki a leglise de Cambron furent donneis, quant ces choses furent faites, che fut lan de le sainte Incarnation de Jhesu-Crist, mil CC LXXIV, el mois de fevrier.

## XXX.

*Carta de eo quod Alardus dictus Gossiaus et Margareta parvidederunt nobis .xii. bonaria liberi allodii.*

(Janvier 1277-1278.)

Ego Rogerus per dei gratiam episcopus Cameracensium, fidelibus universis tam presentibus quam futuris in perpetuum. Inter ceteros nostre professionis articulos hancque sponcionem fecimus, ut ea que nostris temporibus largitionibus principum, oblationibus fidelium, ecclesiis dei con-

feruntur, et sub assertione nostri testimonii roboremus. Modernorum igitur ac posterorum delegamus noticie Hostonem de Silli centum circiter terre boneria, que in territorio de Abechies in feodum de comite Hainonensium tenebat, libere ac sponte eidem comiti reddendo restituisset. Placuit autem prefato comiti de eisdem centum circiter bonariis opus quoddam fieri pietatis, et ea Danieli abbati Camberonensi, et ei cui preest domui in ordine cisterciensi Christo militanti, perpetuo possidenda et colenda vite eterne gratia in elemosinam sub hac lege et conditione contradidit, ut de fructibus qui exinde pervenerint, annis deinceps singulis Hostoni, remota omni exactione vel angaria, pars dumtaxat tertia a fratribus Camberonensibus rependatur. Sane prefatus Hosto et uxor sua Mathildis et liberi sui, huic assensum benigne prebuerunt donationi. Erit autem in arbitrio Hostonis, utrumnam magno tercium sibi manipulum tollere velit, nam quamdiu ei visum fuerit, sua pars tertia in predictorum fratrum horreis recondetur, et ibidem vas ei tercium reconsignabitur, et de sumptibus vel impensis que in ipsis frugibus colligendis et tritrandis fient, partem terciam ipse videlicet Hosto persolvat. Statutum est etiam et ab utroque parte concessum, ut pluries jam dicti fratres tantum de parte Hostonis sibi pro pignore presumant, quantum in eadem parte colligenda et tritrandis impenderint, donec ipse Hosto pro impensa sua fratribus eisdem recompensationem condignam fecerit. Quod si sepe commemoratus Hosto centum circiter prelibata bonaria in elemosinam dare vel vendere, seu obpignorare voluerit, soli domui Camberonensi accipere licebit, si tantum tamen ei pro ipsis vel facere vel dare quantum alius quispiam non renuerit. Sane hiis omnibus prefatis pactionibus fratres Camberonenses ipsis nichilominus Hostonis heredibus tenebuntur, sicut et iidem heredes eisdem fratribus. Hanc autem donationem tam rationabiliter initam, et in presentia nostra recognitam sub presentis testimonio pagine, impressione nostri sigilli munite, perpetuare dignum duximus, prohibentes sub anathematis interminatione ne quispiam ei temere presumat obviare. Hujus rei testes sunt Hugo decanus. Magister Sigerus archidiaconus. Walcherus scolasticus. Egidius canonicus. Walterus capellanus. Actum Dominice Incarnationis anno millesimo centesimo octogesimo IX<sup>o</sup>.

## V.

*Carta Razonis de Gavera de terra Anselmi de Tongre.*

(1186.)

Ego Razo de Gavera et de Chirvia per dei gratiam id quod sum, omnibus fidelibus tam presentibus quam futuris in perpetuum. Pium est omnibus christiane religionis hominibus benefacere, maxime tamen his qui deo familiarius adherentes, devotius ei dinoscuntur deservire. Unde modernorum ac posterorum infigimus memorie Anselmum de Tongris, cognomento Wallum, xxx<sup>ii</sup> m<sup>ii</sup> paulo plus bonario que de Arnulfo eque de Tongris in feodum tenebat, eidem Arnulfo in presentia mea et in presentia et sub testimonio virorum idoneorum quamplurium reddendo restituisset, et sibi abdicasse, ipsum nichilominus Arnulfum cum eodem triginta tria paulo plus terre bonaria sibi ab Anselmo restituta, de nobis similiter in feodum teneret, in presentia et sub testimonio plurimorum testium idoneorum ditioni nostre restituendo reddidisset et sibi abdicasse. Placuit autem exinde nobis aliquod opus fieri pietatis, et eo videlicet xxx<sup>ii</sup> m<sup>ii</sup> paulo plus terre bonaria nobis ab Arnulfo reddita, domino Danieli abbati Camberonensi, et cui preest domui in ordine cisterciensi Christo militanti, pro amore vite eterne, et pro animarum predecessorum nostrorum absolute perpetuo habenda, et libere possidenda, sub testimonio virorum idoneorum quamplurium diversarum conditionum in elemosinam legitime contradidimus, nichil prorsus in eis nobis retinentes, vel juris, vel usus. Ne igitur fratres predictos ulterius super hac donatione tam rationabiliter facta, quispiam inquietare presumat, sub presentis carte testimonio notamus, testium idoneorum et fidelium subscriptione roboramus, et consueto sigillandi munimine perpetuamus. Hujus autem rei testes sunt, Walche[rus] monachus de Eham, Florius capellanus de Chirvia, Arnulfus de Tongris, Walterus de Hestruth, nobiles, Matheus de Arbora, Hosto, et Hugo filii ejus, Marinus de Nova Villa, Arnulfus de Ardenpont, Theodericus de Fascinies, Acharius del Hovo. Actum Domine Incarnationis anno M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> LXXX<sup>o</sup> VI<sup>o</sup>.



## VI.

*Carta B. Comitis de acquisitione partium nemoris de Huncennies.*

(1196.)

Ego Balduinus comes Flandrie et Hainoie, notum fieri volo universis Christi fidelibus tam presentibus quam futuris, quomodo partes quedam in nemore de huncenniis ab ipsarum possessoribus ad ecclesiam Camberonensem consilio meo interveniente justo ordine et sollempni approbatione in elemosinam perpetuo possidendam devenerint. Igitur allodii in nemore predicto participes, Sibilie filii, Egidius scilicet, Stephanus, et Coterellus, et eorum soror, Gilla, annuente marito suo Giselino, partas quos in ipso nemore possidebant et habere debebant, in mea constituti presentia in montibus sub testimonio Marie Flandrie et Hainoie comitisse conjugis mee, et Hugonis abbatis Sancti Gisleni et fidelium meorum, Wilhelmi, scilicet patru mei, et Nicholai de Barbentione, Walteri de Sotengien, et et Walteri de Villa, Camberonensi ecclesie in elemosinam contulerunt, fidei sue interposita religione firmantes quod nullum super his ulterius dampnum aut gravamen per se vel per alium aliquem contra predictam ecclesiam suscitabunt, et exinde apud ipsam ecclesiam me obsidem hac interveniente conventionis firmitate constituerunt, quod super his ubique et per omnia ne ipsa ecclesia aliquod in posterum patiatur detrimentum tutionem que vulgariter guarandia dicitur plenius et profectius teneor eidem ecclesie portare. Predicti etiam allodii in nemore particeps, Ida de Torincort, que ex servili conditione, ad meam propriam pertinebat familiam, partem quam in ipso nemore habebat libere et absolute ut Camberonensi ecclesie in elemosinam daretur in manus meas tradidit, quam quidem partem Camberonensi ecclesie, in elemosinam perpetuam assignavi, quod sub testimonio fidelium meorum et aliorum virorum nobilium factum fuit et firmatum, scilicet Balduini clerici de hunceniis, Arnulfi fratris ejus, Ostonis de Arbra, Hugonis de Gagia, Jacobi fratris ejus, Gaudfredi de Brugeletis. Ad hec Oda de hunceniis predictorum Balduini et Arnulfi soror, assensu Roberti filii et filiarum suarum, Hawidis scilicet et Agnetis, partem suam quam in sepedicti nemoris allodio habebat sepedicte

ecclesie Camberonensi, prout melius et sanius potuit, in elemosinam contulit, sub testimonio Hugonis de Gagia, et Gerardi et Jacobi fratrum ejus, et sepedictorum Balduini, et Arnulfi de Hunceniis, Walteri de Capella, Ostonis de Arbra. Sciendum etiam quod Gossuinus de Ladusa partem quam in nemore sepenominato habebat, quam quidem ab Arnulfo de Sirau in feodo tenebat, ut Camberonensi ecclesie pars illa sanius in elemosinam assignaretur, in manu domini sui libere et absolute reportavit, et ore proprio sibi abjudicavit, et quia in feodo hoc paribus carebat, illud a paribus domini sui Arnulfi sibi abjudicari fecit. Arnulfus vero partem hanc nemoris in manum suam libere resignatam tanquam proprium allodium suum Camberonensi ecclesie in elemosinam contulit, sub testimonio fidelium meorum et aliorum, Egidii scilicet de Trazignies, Johannis Bliaut, Balduini et Arnulfi de Hunceniis, Gaufredi de Brugeletis, Fastredi de Camberone; sepedictus quoque Arnulfus de Hunceniis partes quas in allodio sepedicti nemoris habebat, assensu Ode uxoris sue et filiorum suorum, Gaufridi scilicet clerici et Nicholai militis, Camberonensi ecclesie in elemosinam assignavit, sub testimonio quam plurium fidelium meorum, Eustachii videlicet de Lens, Willelmi de Kevi, Gisleberti Montensis prepositi, Rogeri de Condato, Walteri de Villa, Hugonis de Crois, Balduini de Hunceniis, Ostonis de Arbra, Gaufridus de Brugeletis. Et quia hec omnia benefacta in mea curia sollempniter celebrata sunt et plenius recognita et approbata, ego qui ecclesias et eorum bona in omni honore et quiete teneor defensare, ne ecclesia Camberonensis aliquam super his in posterum patiatur calumpniam vel detrimentum, scripto ea commendari, et sigilli mei munimine roborari decrevi. Actum anno Dominice Incarnationis M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XC<sup>o</sup> VI<sup>o</sup>.

## VII.

*Carta ecclesie de Gilengien de nemore de Hunceniis.*

(1197.)

Necessario quidem et utiliter est provisum, ut res gestas et contractus fidelium stilis exciperet quatinus vivens quodam modo pagina memorie redderet, quod vel oblivio vel etas temporis aboleret. Ea propter ego Ava

dicta abbatissa de Gyllengien et capitulum nostrum notum facimus presentibus et futuris quod partem quandam nemoris de Hunceniis ex dono et elemosina Agnetis de Sassiniis in cimiterio nostro tumulate quiete et pacifice possidentes, ipsam partem et quicquid in ea habebamus Balduino abbati et ecclesie de Camberone sub annuo censu duorum nummorum Valencenensium perpetuo dedimus possidendum. Si quis vero super hoc eandem ecclesiam in causam trahere, vel quomodolibet infestare voluerit, nos plenam eis guarandiam contra omnes portare tenemur. Ad horum igitur evidentiam et murum, presenti scripto ecclesie nostre sigillum cum eorum qui interfuerunt nominibus duximus apponendum. Signum Hawidis priorisse. S. Beatricis suppriorisse. S. Emme de Tongre. S. Ogive. S. Sibilie. S. Alidis. S. Marcelli, Briccii, Bernardi capellanorum nostrorum. Actum anno Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XC<sup>o</sup> VII<sup>o</sup>. Census vero predictus infra octavas Sancti Johannis Baptiste solvendus est.

## VIII.

*Carta ecclesie Viconie de eodem nemore.*

(1199.)

Ego Radulfus Dei gratia dictus abbas Viconie totumque ejusdem ecclesie capitulum, tam futuris quam presentibus notum fieri volumus, quod inter ecclesiam nostram et ecclesiam beate Marie de Camberone quedam querela versabatur que hoc modo sopita est. Abbas enim et fratres Camberonenses a quodam milite nomine Arnulfo de Hunceniis et participibus suis, quandam partem nemoris quod dicitur de Hucegnies nescientes quod in ea aliquid juris haberet ecclesia nostra, sollempniter emerunt. Quod nos comperientes jam dicti nemoris emptionem in prejudicium nostrum esse conquesti fuimus. Siquidem prefati Arnulfi pater, eandem nemoris partem testimonio tam nobilium quam ignobilium virorum ecclesie nostre jam elapso tempore, in elemosinam tradiderat. Abbas itaque et fratres de Camberone intuitu pacis et mutue caritatis, communi consilio XL libras monete Valencenensis nobis dederunt. eo videlicet tenore, quod sepe dictam nemoris partem, quam a prelibato Ar. et participibus ejus compa-

raverant, deinceps absque omni reclamacione possiderent. Preterea pari assensu utriusque ecclesie concessum est, ut si quid in memorato nemore de Hunceniis, cujus quarta pars et alterius quarte partis octava pars ecclesie nostre est utralibet ecclesiarum acquirere potuerit, super partes quas nunc quiete possident, absque prejudicio seu reclamacione alterutrius, quod acquisitum fuerit possidebitur, nec deinceps predictae ecclesie super partibus illis quas in presentiarum tenent, invicem sese inquietabunt. Ceterum illi scientes et precaventes vix aliquid a Deo posse roborari, quod aliquatenus non possit incrustari, petierunt nobis ut munimentum quod habebamus de parte sepedicti nemoris nobis prius in elemosinam collata, et ab illis postea sollempniter empta, postremo ecclesie Camberonensi a nobis amicabiliter confirmata redderemus. Quod libentissime fecissemus, sed in illo scripto quod postulabant, aliorum beneficiorum nobis concessorum confirmationes invente sunt annexe. Ut autem hec prescripta concordia stabilis perseveret, nostri et venerabilium abbatum de Sancto Foillano et de Castello sigillorum appensione et subscriptione testium confirmatione roborari fecimus. Signum domni Radulfi de Viconia, S. domni Nicholai de Sancto Foillano, S. domni Renardi de Castello, abbatum, S. Nicholai prioris, S. Reneri supprioris, S. Ingerandi, S. Hermani cantoris, S. Bartholomei cellerarii, S. Gisleberti sacriste, S. Nicholai, Egidii, Walteri, et alterius Walteri, Eustachii, et alterius Eustachii, sacerdotum, S. Theoderici, Odonis, Roberti, Werrici, Balduini, diaconorum, S. Walcheri, Arnulfi, Heluini, subdiaconorum, et Theoderici prepositi. Actum anno Domini M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> XC<sup>o</sup> nono.

## IX.

*Carta W. patruis comitis de divisione ejusdem nemoris.*

(....?)

Ego Willelmus patruus comitis Flandrie et Hainoie notum facio universis quod divisionem nemoris de Hunceniis tam de parte domini comitis quam de partibus Camberonensis et Viconiensis ecclesiarum et aliorum participum, quam Walterus de Masnui ex parte domini comitis, et

Ulbaldus de Harveng ex parte Viconiensis ecclesie, et Evradus de Condato ex parte Camberonensis ecclesie fecerint, inparticionem ratam habeo et habebo, salvo jure domini comitis in venditione et custodia aliarum partium, excepta inde parte Camberonensis ecclesie.

## X.

*Carta B. comitis de eodem.*

(1202.)

In nomine sancte et individue Trinitatis Amen. Ego Balduinus Flandrie et Hainoie comes, notum fieri volo tam futuris quam presentibus, quod in parte illa nemoris quam habet ecclesia de Camberon in nemore de Hunceniis nichil omnino juris, vel advocatie, aut dominii sive proprietatis habeo, nec me habere cognosco, hoc solo excepto quod est in comitatu meo, sed nec etiam servientem aliquem mittere potero ad custodiendum nemus illud, nisi de voluntate et requisitione abbatis et conventus de Camberone. Verum ne ecclesia in posterum ab aliquo successorum meorum, vel ab alio calumpnari possit aut gravari, presentem super hoc cartam conscribi feci, et testium annotatione muniri. Signum carissimorum fratrum meorum, Philippi comitis Namucensis et Henrici. S. Willelmi patris mei, S. Eustachii de Ruez, S. Egidii de Trasegnies, E. Gilleni castellani de Bellomonte, S. Henrici castellani Montensis. Actum Sognegiis, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> II<sup>o</sup>, et sigilli mei appositione confirmatum.

## XI.

*Carta W. patris comitis de elemosina Bernardi de Lonscans.*

(Mons, 1204.)

Ego Willelmus domini comitis Flandrensium et Hainonensium Balduini patruus, ipsius comitis in comitatu et dominatione Hainoensi vicem gerens potestativam, notum facio universis tam presentibus quam futuris, quod

defuncto Bernardo de Lonscans, homine domini mei comitis, qui assumpto in Camberonensi ecclesia religionis habitu, et decedens ibidem sepultus est, germanus ejus Balduinus in presentiam meam sub testimonio quamplurium domini mei comitis fidelium, totum allodium quod predictus Bernardus et ipse Balduinus frater ejus habuerant in Hucheniis et in territorio illo tam in terris cultis quam incultis, pratis, aquis, redditibus, justicia, servisque et ancillis omnique jure et dominatione et proprietate, idem Balduinus domini mei comitis homo de familia proprius, in manum meam libere et absolute dedit, conferendum quidem Camberonensi ecclesie in elemosinam perpetuam, quod quidem sepedicte ecclesie testimonio et consilio quamplurium domini mei comitis fidelium in elemosinam per manum domini Balduini loci illius abbatis et fratrum suorum legitime donavi, exceptis duabus ancillis suis in Lescinis, Eremburge et Ida, cum earum prole, quas satis nominatus Balduinus de Lonscans sibi retinuit. Ut autem hoc ratum permaneat, scripto et sigillo meo ex parte domini mei comitis de consilio hominum suorum fidelium confirmari decrevi. Testes Eustachius de Rodio, Egidius de Barbentione, Alardus de Strepi, Arnulfus de Kevrain, Arnulfus de Aldenarda, Rogerus de Condato, Bernerus de Roulcurt, Gillebertus prepositus Montensis, Gillenus castellanus Bellimontis, Henricus castellanus Montensis, Reinardus de Strepi et quamplures alii. Actum Montibus in castro, anno Verbi incarnati M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> quarto, dum princeps illustris Balduinus comes Flandrie et Hainoie et uxor ejus Maria comitissa ad succursum terre sancte Jherosolimitane peregrinabantur.

## XII.

*Carta B. Decani Cirvie de terra de Molebais.*

(Molebais, juin 1214.)

B. Dei gratia decanus Chirviensis omnibus in perpetuum salutem in Domino. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod Hellinus de Mafles in presentia nostra constitutus de libera et spontanea voluntate sua donationem elemosine XII<sup>im</sup> bonariorum terre allodii de Molebais quam avunculus suus Walterus de Molebais ecclesie Cambe-

ronensi fecit benigne recognovit, et ut ipsa ecclesia eandem elemosinam liberam in perpetuum possideat coram multis fidelibus concessit. Hujus rei testes sunt Henricus, prepositus de Basecles. Godefridus, clericus de Condato : Balduinus de Condato, frater ejus. Osto de Trasegnies, Walterus de Kevel, milites. Walterus de Villa. Everardus de Condato. Everardus filius ejus. Item Balduinus abbas de Camberon, Arnulfus prior et Ulbaldus monachus. Actum anno ab incarnatione Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XIII<sup>o</sup>, mense junii apud Molembais.

## XIII.

*Carta Danilis abbatis de conditione cum Rainero de Noeme.*

(.....?)

Ego Daniel, ecclesie Camberonensis minister humilis, notum facio sub assertionem nostre imaginis cunctis fratribus nostris, et fidelibus universis tam presentibus quam futuris, quod Rainerus filius Gilleberti de Noeme duo terre bonaria et dimidium que in eodem Noeme de nobis tenebat sub hac lege et conditione in elemosinam pro mercede sua, et pro absolutione nichilominus animarum patris sui et matris sue perpetuo habenda et possidenda domui nostre contulerit, ut ea colamus et ex fructibus qui exinde pervenerint medietatem ei quoad vixerit annis singulis rependamus. Porro prefatam medietatem ejusdem Raineri plaustris nostris ad nos allatam in horreis nostris recondemus, et ad nutum et voluntatem ipsius teretur. Terragium nichilominus quod ipse videlicet Rainerus in predicto Noeme, xx<sup>ti</sup> libris acquisivit in vita sua possidebit, quod post mortem suam domus nostra perpetuo sibi vendicabit. Quod si aliquando idem Rainerus conversus vel familiaris noster fieri voluerit ingressus domus nostre gratis ei et sine ulla contradictione patebit. Si vero contigerit in seculo eum infirmari, ut conversus aut familiaris vel nolit, vel non possit fieri; domus nostre prout ratio expostulaverit tam de nostro quam de suo necessaria ei providebit. Sane ubicunque eum mori contigerit quicquid apud nos mobile sive in nummis, sive in frugibus, habuerit nostrum erit. Porro autem frustum unum terre, et frustum aliud prati, que videlicet duo frusta bonarium dimidium efficiunt, et que de nobis

Elizabeth et Emma soror ejus hereditarie tenentes post mortem patris sui Johannis cum assensu matris sue Johanne reddendo nobis restituerunt, pluries dicto Rainero et heredibus suis perpetuo habenda et hereditario jure possidenda contradidimus et tam ipsi quam heredibus suis warandire promisimus.

## XIV.

*Carta de donatione centum boneriorum terre domini O. de Trasignies (hec carta nullius roboris est propter contractus qui continetur in XXIX<sup>a</sup> carta de Roseria, hec carta locata est post cartas de Roseria, subtus.)*

(Cambron, juillet 1227.)

Universis presentes litteras inspecturis Osto de Trasegnies dictus avunculus, in perpetuum. Noverit universitas vestra quod eum bone memorie Osto pater meus dominus de Trasegnies circiter centum boneria terre que in territorio de Abechies in feodum de comite Haynonensi tenebat, libere ac sponte eidem comiti resignasset, et comes prefatus super hoc bone libertatis arbitrium amplexatus eadem circiter centum boneria terre Danieli abbati Camberonensi et conventui ejusdem loci in ordine cisterciensi Christo militantibus, perpetuo possidenda et colenda cum assensu ipsius Ostonis et Mathildis tunc temporis uxoris ejus, necnon et assensu liberorum suorum, vite eterne gratia in elemosinam sub hac lege et conditione tradidisset, ut ex fructibus qui exinde provenirent annis singulis sibi et suis successoribus remota omni exactione vel angaria partem dumtaxat terciam fratres Camberonenses rependerent, et ex hoc carta a dicto patre meo confecta fuisset licet postmodum inter me ex una parte, et dictam ecclesiam Camberonensem ex altera contentio mota fuisset, tandem bonorum virorum inducti consilio, in hanc formam pacis convenimus, quod de cetero ecclesia Camberonensis, fructus circiter centum boneriorum que centum boneria usque ad LX<sup>ta</sup> et x parum plus vel minus in omnibus aiseniis redacta sunt, propriis sumptibus et expensis colligi faciet, et pro collectione decimam percipiet; percipiet etiam integraliter omnem decimam illarum terrarum infra dicta LX<sup>ta</sup> et x boneria contentarum, quos ad agriculturam redegit de novo tam ratione privilegiorum suorum quam



ratione pacis inter nos reformatæ, quam cito et dicta Camberonensis ecclesia duas partes suas in horreum suum deducere noluerit, tam cito terciam partem meam infra parrochiam de Abechies ubi voluero deducet in horreum meum, famulo meo tempore messis ibidem manente prius vocato, qui ad partiendum dictas partes proventuum, et ad decimandum utramque decimam et ad meam partem deducendam quam citius poterit bona fide interesse tenetur. Si vero garbas dicte terre coadunatis forte contigerit famulum meum non vocatum advenire, et dictam Camberonensem ecclesiam monere ad cariandum, bona fide cariabit. Quod si forte portionem meam supradictam in elemosinam dare vel bona fide vendere vel impignorare voluero, soli dicte domui Camberonensi accipere licebit, si tamen terram mihi pro ipsa vel dare vel facere quatenus alius quispiam acquieverit. Dictam itaque terram predicta domus Camberonensis tenetur fideliter excolere et meliorare. Sane hiis omnibus pactionibus fratres Camberonenses meis nichilominus heredibus tenebuntur, sicut et ipsi heredes mei ejusdem fratribus astricti. Ne ergo super premissis de cetero inter me vel heredes meos ex una parte, et dictam ecclesiam Camberonensem ex altera oriri valeat contentio, presentem paginam cirographizatam tam sigilli mei impressione, quam sigilli abbatis et ecclesie de Camberone memorate, de communi assensu nostro cum subscriptione testium duximus roborandam. Testes igitur qui interfuerunt premissæ compositioni fuerunt vir venerabilis Marcellus, abbas Sancti-Dyonisii in Brokeroie, qui presenti scripto ad petitiones partium sigillum suum apposuit, cum sigillo viri nobilis Ostonis domini de Trasegnies dicte compositioni benignum prebente assensum. Interfuerunt etiam cum istis Gillebertus prior, Servatius portarius, Theodoric hospitalis, Albricus custos monasterii, Lambertus et Johannes cellerarii, monachi Camberonenses. Item frater Walterus Beus, canonicus ninivensis, Stephanus de Jorbisia, Gerardus de Monte, Hubertus de Thorincourt presbyteri, magistri Johannes et Everardus de Cirvia, Gerardus Lipos clerici, Juffridus miles de Boussoit, Matheus de Fossa et quamplures alii. Actum apud Camberonem anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> vicesimo septimo mense julio.

## XV.

*Carta comitis quod vendi non potest nemus de Huncignies sine consensu ecclesie Camberonensis et Viconiensis.*

(Valenciennes, 7 mars 1199.)

Ego Balduinus Flandrie et Hainoie comes notum volo fieri presentibus et futuris, quod assensu Marie uxoris mee concessi abbati et ecclesie de Camberone, et abbati et ecclesie Viconiensi in perpetuum, quod non potero vendere nemus de Hunchenies nisi assensu et consilio eorum, et per consilium eorum idem nemus legitime debeo custodire. Quandocunque vero predictum nemus vendi contigerit, non poterit vendi nisi predictarum ecclesiarum assensu et consilio, et de pretio ejus xl libras Valencenensis monete in primis accipiam, et de reliquo quartam partem habebō. Ut autem hec conditio inconcussa et rata permaneat, dignum duxi sigillum meum apponere, et testium qui interfuerunt nomina subnotare. S. Wilhelmi patris mei, S. Gilleni castellani de Bellomonte, S. Hugonis de Sancto Auberto, S. Nicholai de Montegni. Actum apud Valencenas anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo nono, nonas martii.

## XVI.

*Carta de elemosina xii bonariorum terre domini Theoderici de Linea.*

(1176.)

Ego frater Daniel monasterii Camberonensis minister humilis, fidelibus cunctis tam presentibus quam futuris in perpetuum. Omnium fidelium memorie commendamus, Theodericum de Linea, xii<sup>im</sup> terre bonarios domui nostre pro anime sue absolutione, apud Ericii vadum in elemosinam contulisse. Quia duodecim hii terre bonarii a domo nostra vel a terris nostris nimium videbantur esse remoti, majoris utilitatis ac compendii intuitu cum capituli nostri conniventia et assensu Hawello de Kaureng eos vendi-

dimus. Sane de pretio quod elemosine prefate distractionis percepimus terram terris nostris non solum viciniorem, sed et herentem sed et interjacentem emimus, duos scilicet bonarios a Petro de Gagia et feodum unum sex bonariorum a Liezone de Horuetes, quod idem Liezo de nobis tenebat. Que autem de jamdicto superest precio, in opus expendemus simile. Hec igitur ne a fidelium memoria defluant, presentibus alligata litteris, tam idoneis et fidelibus testibus roboratis, quam impressione nostri sigilli, vel sigillorum eorum quorum nomina subjecta sunt perpetuatis. S. Domini Alardi Cameracensis electi. S. Lamberti abbatis Sancti Gilleni. S. Gervasii abbati Sancti Dionisii de Brokeroie. S. Roberti prioris. S. Walteri. S. alterius Walteri monachorum. S. Walteri de Lens. S. Ostonis de Bliki. S. Eustachii filii predicti Walteri de Lens. Actum Dominice Incarnationis anno M<sup>o</sup> C<sup>o</sup> LXX<sup>o</sup> VI<sup>o</sup>.

## XVII.

*Compositio inter nos et dominum W. de Bliki, super limitationem unius vivarii, nemoris, terre arabilis et pratorum juxta Roseriam.*

(Juillet 1229.)

Osto dominus de Silli universis presentes litteras inspecturis salutem in domino, noverit universitas vestra quod cum inter viros religiosos abbatem et conventum de Camberone et virum nobilem Ostonem patrum nostrum ex una parte, et Walterum dominum de Bliki et A. uxorem ejus ex altera, super limitationem vivarii et nemoris et terre arabilis et pratorum juxta Roseriam dissentio suborta esset, tandem dicte partes in hoc concordant quod due mete ex parte superiori dicti vivarii una inter nemus et pratum altera inter idem pratum et terram arabilem sunt infixe. Dictus vero Osto de consensu abbatis et conventus de Camberone quicquid juris intra dictas metas et alias metas inter vivarium et terram arabilem infixas habebat, in manus nostras presentibus hominibus nostris et paribus ipsorum O. et W. reportavit, et nos illud integre, feodo de Bliki quod idem W. tenet de nobis adjunximus, jure et consuetudine observatis que in hujusmodi debent observari. Dicti tamen abbas et conventus intra dictas metas terre arabilis priusquam ad ipsum O. et eos pertinebat decimam, quotiens-

cunq̄ue arabitur percipient sicut prius, prefati vero W. et uxor ejus quicquid juris habebant in prato extra metas predictas inter dictum nemus et terram arabilem sito, et etiam in terra in decimatione de Bliki jacente que per metas de novo infixas terre arabili ipsius O. est adjuncta, in manus nostras similiter reportaverunt, et nos illud totaliter sub forma et modo predicto, feodo de Abechies quod idem O. tenet de nobis adjunximus. ita quod abbas et conventus predicti idem juris excepto quam habebant in decima, habebunt in terra arabili sic adjuncta quod habebant in reliqua. Insuper sciendum quod idem W. inter vivarium et terram arabilem sepedictam, fossatum tenetur facere et ipsum talem conservare quod per aquam ejusdem vivarii in ipso vivario arestantem dicta terra minime peior fiet, ita tamen quod extra fossati cacumen intra metas ipsas ex parte terre arabilis, tenetur relinquere semitam terre sicce, latitudinem trium pedum habentem, ab inferiori parte vivarii usque ad summum attingentem, ipsi vero abbas et conventus terram juxta suum vivarium ad opus ejusdem semite in equali latitudine ad magnam stratam terminandam tenentur exhibere. In hujus autem rei testimonium ad petitionem partium sigillo nostro et sigillo abbatis pro se et conventum et sigillis ipsorum O. et W. presentem cartam fecimus roborari. Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XX<sup>o</sup> nono mense julio.

## XVIII.

*Carta abbatisse de Gilleghien de tribus jorneriis terre Joffridi de Boucoul.*

(1235.)

Universis presens scriptum visuris vel auditoris, E. Dei gratia abbatissa et conventus Gilleghensis salutem et orationes in Christo. Cum Juffridus de Boucoul, tria joritaria de sarto domicelle Felizie sita inter Tongram et le Rosiere de nobis teneret in feodum, noveritis quod nos idem J. licentiam vendendi dictam terram, et voluntatem faciendi quandoque voluerit et cuicunque concedimus diligenter. Datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> III<sup>o</sup>.

## XIX.

*Carta de tribus boneriis nemoris emptis a domino G. de Sombrefe.*

(1246.)

Ego Godefridus miles dominus de Sombrefe, notum facio universis presentes litteras inspecturis quod cum in territorio de Odenghien ex parte nobilis femine Rissendis uxoris mee circiter tria bonaria nemoris parum plus vel minus in liberum tenerem allodium, ego de assensu ejusdem uxoris mee et heredis mei et omnium quorum consensus requiri poterat et debebat, nobilium virorum numero quanto oportuit congregato juris ordine per omnia custodito, dictum nemus vendidi et tradidi ecclesie beate Marie de Camberone justo precio mediante in fundo et superficie, libere et totaliter in perpetuum possidendum, quicquid in eo juris mihi meisque heredibus competeat vel competere poterat quoquomodo, reportans et resignans in manus syndici dicte ecclesie pro ipsa legitime stipulantis fide et juramento corporaliter prestitis, promittens me in dicto nemore nichil de cetero clamaturum, heredemque meum obligari faciens similiter ad hoc ipsum. Renuntiavi nichilominus super dicto contractu et super nemore sepedicto restitutioni in integrum, exceptioni non numerate pecunie, et omni auxilio juris tam canonici quam civilis, tam pro me quam pro heredibus meis, et insuper ne super premissis aliqua possit in posterum calumpnia suboriri, sigillo meo presentes feci litteras roborari. Actum et datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> VI<sup>o</sup>, sabbato post festum beati Luce ewangeliste.

## XX.

*Carta Jacobi de Bondues et B. filii sui de duobus bonariis et dimidio prati que Walterus de Hakegnies contulit in elemosinam ecclesie Camberonensi.*

(5 janvier 1247-1248.)

Ego Jacobus miles dominus de Bondues et Balduinus filius meus notum facimus universis, quod cum Walterus de Hakegnies hospes noster duo

boneria et dimidium prati et mansum unum que in territorio de Castellione de me sub annuo censu tenebat, ecclesie beate Marie de Camberone, salvo usufructu, sibi et uxori sue in elemosinam contulisset, ego et B. filius meus ut ejusdem collationis coadjutores seu cooperatores existeremus, nostrum tam dicte ecclesie quam dicto W. super hoc prestitimus laudamentum, coram majore de Castellione et ceteris hospitibus nostris dictam ecclesiam investientes de dicto prato et de dicto manso secundum usus et consuetudines in quibus tenebatur dictus W., nobis pro dictis prato et manso, volentes et concedentes de mera et spontanea voluntate nostra tam pro nobis quam pro heredibus nostris ut jure hereditario dicta ecclesia predicta, salvo omni jure nostro primitus habito possideat in perpetuum, hoc excepto quod ego et dictus B. filius meus renuntiavimus omnibus angariis et perangariis, expeditioni et quitatui in quibus dicti prati et mansi possessores causa ejusdem possessionis nobis et heredibus nostris tenebantur. Concessimus etiam dictam conventionem tali conditione apposita quod dicta ecclesia non potest habere bestias sive pecora in pascuis nostris occasione dicte hereditatis nisi de consensu nostro seu consensu heredum nostrorum. Et ne de cetero possit istud in irritum revocari, presentem cartulam ad instantiam dicti W. sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> VII<sup>o</sup>, in crastino Epiphanie, mense januarii. Hii sunt qui interfuerunt: Nicholaus piscator, sicut hospes. Colardus Craisson, Urbandus, Walterus, Johannes Berkarius et Nicholaus Cambarius major.

## XXI.

*Carta domini Balduini de Praellis de eodem.*

(...septembre 1236.)

Ego Balduinus dominus de Praellis et Clarissia uxor mea, notum facimus universis quod cum Walterus de Hakegnies duo boneria et dimidium prati et mansum unum sita in territorio de Castellione per assensum domini Jacobi militis, bone memorie patris mei, quondam domini de Praellis, de quo sub annuo censu et reddito dictum pratum et dictum mansum tenebat tunc temporis, ecclesie beate Marie de Camberone in elemosinam contu-

lisset, et dictam ecclesiam per majorem et hospites dicti loci de dicto manso et prato secundum legem et consuetudinem patrie integraliter investisset, et litteras suas sigillo suo sigillatas dicte ecclesie super hoc contulisset. Nos succedentes in bonis dicti J. patris mei tam mobilibus quam immobilibus, ut dicte collationis coadjutores existamus, dicte ecclesie super hoc coram majore de Castellione et scabinis ejusdem loci nostrum prestitimus laudamentum. Et quicquid ordinatum sive dispositum fuit a patre meo super hoc, approbamus atque laudamus, volentes et concedentes ex mera et spontanea voluntate nostra, tam pro nobis quam pro heredibus nostris, ut dicta ecclesia dictum pratum et dictum mansum jure hereditario, salvo annuo censu et reddito nostro, libere et absolute possideat in perpetuum. Et renuntiavimus omnibus angariis et perangariis, omni expeditioni et equitatu, in quibus dicti prati et mansi possessores causa ejusdem possessionis nobis et heredibus nostris tenebantur. Concessimus etiam nichilominus dictam conventionem, tali conditione apposita quod dicta ecclesia non poterit habere bestias seu pecora in pascuis nostris occasione dicte hereditatis, nisi de consensu nostro seu consensu heredum nostrorum. Et ut hec rata habeantur nec de cetero possint in irritum revocari, presentem cartulam ad instantiam dicte ecclesie sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum apud Praiaus, anni Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> L<sup>o</sup> VI<sup>o</sup>, mense septembri. Hii sunt qui interfuerunt: Walterus de Castellione, Nicholaus Cambarius, Gossuinus Goce de Harchies, Balduinus dictus Robellars, Gonterus Billons, tanquam major, et Hugo capellanus de Praellis.

## XXII.

*Carta domini Walonis de Ladeuse de iii jorneriis terre Walteri de Baudour.*

(1247.)

Ego Walterus dictus Wales miles et dominus de Ladeuse, notum facio universis presentes litteras inspecturis, quod cum Walterus de Baudour, homo meus, tria jorneria terre parum plus vel minus jacentis inter Tongram et Roseriam, juxta nemus domini de Audenarde, quod de me tenebat in feodum, conferre vellet in elemosinam ecclesie beate Marie de

Camberone, ego ut liberius posset fieri dicta donatio pro remedio anime mee et animarum antecessorum meorum dictam terram ab omni jure feudali in quo mihi tenebatur quittavi, dictumque feodum in jus et naturam allodii totaliter prout decebat redactum, dicto Waltero ut illud sicut dictum est prefate conferret ecclesie, libere et liberaliter reconsignavi et reddidi, in purum et liberum allodium Camberonensi ecclesie conferendum. Idem autem Walterus eandem terram per consensum et laudamentum meum dicte contulit ecclesie in elemosinam, in purum allodium jure perpetuo possidendum ipsam terram et quicquid in ea juris habebat vel habere poterat quoquomodo, in manus prioris Camberonensis ad opus ejusdem ecclesie benigne reportans. Ego nichilominus Walterus dictus Wales ejusdem elemosine coadjutor et particeps esse volens, omne jus et dominium quod mihi meisque successoribus in dicta terra competeat vel competere quacunque poterat ratione, favorabiliter et ex toto quittavi ecclesie memorate. Facta sunt autem omnia que superius sunt expressa tam a me quam a dicto Waltero, vocatis et presentibus sufficienter hominibus meis et aliis qui propter hoc fuerant evocandi, consentientibus omnibus quorum consensus ad hoc requiri poterat et debebat, juris ordine per omnia secundum legem patrie et approbatam consuetudinem observato. Et ut hec omnia firma et inconcussa perpetuo perseverent, ad petitionem dicti Walteri sigilli mei appensione presentem feci cartulam roborari. Actum et datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> VII<sup>o</sup>, feria iv<sup>a</sup> ante Nativitatem sancti Johannis Baptiste et precursoris Domini.

## XXIII.

*Sigillum abbatis de Camberone de allodio de Tumaides.*

(Tongres-Notre-Dame, ... août 1224.)

Ego frater Sygerus dictus abbas de Camberone, et ejusdem loci conventus, notum facimus universis presentes litteras visuris, quod cum venerabilis mulier Maria, relicta domini Nicholai de Tongre, omne suum allodium in terris, pratis, redditibus et rebus aliis sicut possidebat omnino, in territorio de Tumaides, pro remedio anime sue ecclesie nostre de Camberone



in puram elemosinam contulisset, coram viris nobilibus, Terrico videlicet de Sterpi, Alardo, Johanne, Terrico, fratribus filiis ipsius Terrici, Hugone de Gage, Egidio, Waltero, fratribus filiis ejusdem Hugonis, et Colardo de Brugeletes, qui hujus elemosine testes sunt, nos promisimus eidem Marie supradicte quod nos cum eam ex hac vita migrare contigerit, pro faciendis elemosinis suis XL<sup>a</sup> libras alborum, nisi voluntatem istam in melius mutaverit, et ecclesie nostre aliquid relaxare voluerit de hac pecunia, eidem plenarie persolvemus. Ut autem istud ratum habeatur et firmum, presens scriptum sigilli nostri munimine roboravimus. Actum in templo beate Marie de Tongre coram viris supradictis anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XX<sup>o</sup> IV<sup>o</sup>, in die Sancti Bernardi abbatis, mense augusto.

## XXIV.

*Compositio inter nos et dominam de Balluel de eodem allodio.*

(1<sup>er</sup> janvier 1249.)

Ego Ysabella domina de Moriaumeis et Jacobus, dominus de Condato, filius meus notum facimus universis presentes litteras inspecturis quod in totali terra ecclesie de Camberone cisterciensis ordinis apud Thumaides in campo et in villa, nos et heredes nostri nihil habemus nec habere debemus, nec aliquid retinemus excepto latrone, raptu, murthero, et incendio domus. Si autem sanguis vel burina fiat in dicta terra Camberonensi, memorata Camberonensis ecclesia ea faciet judicari et leges judicate nostre erunt. De aliis vero quibuscunque ac si sigillatim essent dinumerata, in omnibus et per omnia dicta ecclesia in perpetuum suam absolute et libere faciet voluntatem et contra hoc nos vel successores nostri quicunque ullo tempore nos nullatenus opponemus, et mediante compositione ista amicabili, omnes querele et controversie que inter nos et dictam ecclesiam super predictis vertebantur expirant. Et ad hec omnia firmiter observanda, nos heredesque nostros et successores nostros presenti cartula sigillis nostris roborata relinquimus in perpetuum obligatos. Actum et datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> IX<sup>o</sup> in Circumcisione Domini Jhesu-Christi.

## XXV.

*Carta domini W. de Bliki quod vendidit centum solidos annui redditus.*

(Juillet 1259.)

Jou Williaumes de Genlain, sires de Bleki, fach savoir a tous chiaus ki ces letres veront ou oront, ke jou a labe et au couvent de Cambron doi heritalement et perpetuellement cent sous de le monnoie de Haynau a paier chascun an a le Candeleir, desquels cent sous jou les ai assenes chascun an heritalement a toute me terre de Ormengnies, ki mest eskeue de par medame me mere, et se je leur en defaloie et il nen fussent bien payet au termine devant noumé et il par chou fesissent coustenge ne eussent damage, jou leur doi rendre tous ces cós et tous ces damages avec le dete par le plain dit de labe et des celeriers de Cambron, et de ce mismes les ai jou asseneis a toute me terre devant dite dOrmengnies. Toutes ces covenances ai jou creante et fianchiet par foi a tenir loiaument et se i ai obligiet plainnement et mi et mes oirs a tousjours. A chou faire furent pluseur haut homme, cest messire Eustaches, sires de Trasengnies, messire Ostes de Hakegnies, Jehans li Ardenois ses freres, messire Nicholes de Brugeletes et Thieris ses freres, messire Williaumes de Genlain, mes oncles, messire Giles Dere, messire Rogiers Darbre, messire Hues de Lens, Bauduins de Praiaus et Hellins, ses freres, et jou Williaumes de Genlain, sires de Bleki, ki en tesmoing de ces convenances devant dites pour chou que eles soient fermes et estaules ai doune a labe et au couvent de Cambron ces letres saielées de men saiel et des saiaus daucuns des haus homes ki devant sunt noumé. Ce fut fait lan del Incarnation Jhesu-Crist mil CC et LIX el mois de jule.

## XXVI.

*Curta ejusdem qua vendidit nobis partem quam habebat in allodiis de Ormegnies.*

(Cambron, mai 1264.)

Ego Willelmus de Genlain miles dominus de Bliki, notum facio universis presentes litteras inspecturis, quod cum inter eos qui partes habent in allodiis de Ormegnies tenerem ex parte domine matris mee partem unam, partiendo scilicet ad medietatem contra illam partem quam in eisdem allodiis habent viri religiosi, abbas et conventus de Camberone, quam videlicet partem ipsi emerunt a bone memorie domino Hugone de Ruet, tunc marito domine Yzabelle sororis mee, ego inquam illam partem meam eisdem abbati et conventui de Camberone vendidi et tradidi jure perpetuo ab eis in liberum allodium possidendam, ad majorem autem juris sollempnitatem personaliter accedens coram nobilibus liberis et probis hominibus in plena super hoc sufficientia congregatis, predictam partem meam prout eam in dictis allodiis habebam, percipiebam et tenebam atque habere et percipere et tenere debebam et poteram, in terris et terragiis, pratis, censibus, redditibus, servis et ancillis, in justiciis et in quibuslibet rebus aliis, ac si propriis hic essent expresse nominibus, cum omni jure quod mihi et meis heredibus competebat et competere poterat in eisdem, in manus dictorum abbatis et conventus de Camberone, ut omnia predicta in liberum allodium perpetuo possideant, totaliter reportavi, festucans ea et werpiens semel, secundo ac tercio, et renuntians super eis omni auxilio juris tam canonici quam civilis, omni exceptioni doli mali et minus justi precii, omni dolo et fraudi, omni actioni tam personali quam reali, omni consuetudini et statuto patrie sive loci, beneficio restitutionis in integrum, et omnibus et singulis que ad reclamandum predicta vel aliquod predictorum mihi et heredibus meis possent aliquatenus suffragari. Hec autem sunt nomina hominum nobilium coram quibus et per quos hec feci: dominus Nicholaus de Brugeletes miles et Jacobus filius ejus, Balduinus de Piereweis et Nicholaus frater ejus, Petrus de Torincourt, Osto de Arbre, Balduinus de Bievrene, et Johannes de Somion. Hii omnes dixerunt

pro jure et per iudicium quod secundum usus et consuetudines patrie ego bene et legitime exheredatus sum de predictis, et quod dicti abbas et conventus in predictorum possessione bene et legitime sunt constituti. Ne autem super premissis aliqua possit in posterum calumpnia suboriri, presentes litteras sigillo meo necnon et sigillis quorundam predictorum nobilium roborari feci, easque dictis abbati et conventui tradidi conservandas. Actum et datum apud Camberonem, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> LX<sup>o</sup> III<sup>o</sup>, mense maio.

## XXVII.

*Carta domini H. de Ruet, quod vendidit nobis partem quam habebat in allodiis de Ormignies.*

(Cambron, février 1260-1261.)

Ego Hugo miles dominus de Ruet, notum facio universis tam presentibus quam futuris, quum cum inter eos qui partes habent in allodiis de Ormignies, ego et Willelmus de Genlain habemus partem unam partiendo scilicet ad medietatem alterius contra alterum, Ego illam partem meam quam ex parte Ysabelle uxoris mee, sororis dicti Willelmi, in dictis allodiis habebam et tenebam vendidi et tradidi viris religiosis abbati et conventui de Camberone jure perpetuo ab eis in liberum allodium possidendam. Ad majorem autem juris sollempnitatem, personaliter accedens coram nobilibus et probis hominibus in plena super hoc sufficientia congregatis, predictam partem meam prout eam in dictis allodiis habebam, percipiebam et tenebam atque habere et percipere et tenere debebam et poteram, in terris et terragiis, pratis, censibus, redditibus, servis et ancillis, in justiciis et in quibuslibet rebus aliis ac si propriis hic essent expresse nominibus, cum omni jure quod mihi et meis heredibus competebat et competere poterat in eisdem, in manus dictorum abbatis et conventus de Camberone, ut omnia predicta in liberum allodium perpetuo possideant totaliter reportavi, festucans ea et werpiens semel, secundo ac tercio et renuntians super eis omni auxilio juris tam canonici quam civilis, omni exceptioni doli mali et minus justii precii, omni dolo et fraudi, omni actioni tam personali quam reali, omni consuetudini et statuto patrie sive loci beneficio resti-

Ego Johanna Flandrie et Hainoie comitissa notum facio presentes litteras inspecturis, quod dilecto servienti meo Willelmo de Stadis dedi in feodum theloneum de Rodenborc, quod fuit Lamsini de Ersebroch hereditarie ei tenendum et successoribus suis de me et de meis successoribus. In cujus rei testimonium presentem ei contuli cartam sigilli mei munimine signatam et testium subscriptione firmatam. S. Johannis domini Nigellensis castellani Brugensis. S. Walteri de Somerghem. S. Walteri de Ghistella. S. Malini de Meterne. Actum Brugis anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XX<sup>o</sup> secundo, feria quarta post festum beati Remigii.

<sup>1</sup> Cet acte est très-curieux pour les noms de lieux et de personnes.

## III.

*Carta J. comitisse de terra de Hulst, de Utdico et Indico et alia sub eisdem verbis.*

(Gand, 1225.)

Ego Johanna Flandrie et Hainoie comitissa, notum facio omnibus, tam presentibus quam futuris, quod ego pro anime mee et antecessorum meorum remedio animarum dedi ecclesie de Camberone in perpetuam elemosinam totum morum et totam terram de Wtdico et Indico <sup>1</sup>, in officio de Hulst jacentem, quam teneo et de jure tenere debeo, et hec dedi eidem ecclesie sub annuo censu duarum marcharum, in Purificatione beate Marie Virginis et in Nativitate beati Johannis Baptiste solvendarum. In cujus rei testimonium prefate ecclesie presentem cartam contuli sigilli mei munimine roboratam. Datum apud Gandavum, nocte beati Thome apostoli anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XX<sup>o</sup> III<sup>o</sup>.

## IV.

*Arbitrium abbatum de Dunis et de Baudelo super quumdam decimam ad grangiam de Stoupedich pertinentem.*

(Hulst, novembre 1228.)

Fratres Salomon de Dunis et Aemilius de Baudelo, dicti abbates et dominus Johannes miles de Axle, universis Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenire contigerit in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod cum questio verteretur inter abbatem et conventum de Camberone ex una parte, et dominum Theodericum de Axle et dominum Gosonem de Heet, milites, ex altera, super decimis terre jacentis inter aquam molendini de Stoupedich, que vulgo dicitur Swin et veterem curiam ubi dicti fratres de Camberone primo manserunt, et decimis cujusdam terre quam dicti fratres de Camberone acquisierunt super mare cum Vlito <sup>2</sup> qui dicitur Havee, testibus ab utraque parte productis, diligenter examinatis, rite

<sup>1</sup> Ce sont là sans doute des noms des poldres, récemment indiqués : *Uitdyk* et *Indyk*.

<sup>2</sup> *Vlito*, du flamand *vlîet*, *rivulus*.

publicatis juris ordine per omnia plenius observato arbitrando pro bono pacis et concordie adjudicavimus dictis militibus xv libras Flandrensium et prefate ecclesie decimam terre jacentis inter terminos prenotatos perpetuo possidendam, ita quod nec dicti milites nec eorum heredes aliquam in posterum predictis terminis cum suo aggere qui vulgo Dic dicitur adversus ecclesiam de Camberone calumpniam movere debent. Hoc etiam addidimus quod dicti fratres de Camberone de dico jacente in occidentali parte de Vlito, qui dicitur Havee profectum suum facient si voluerint, ita tamen quod summitas de dico illesa permanebit. Ut etiam arbitrium nostrum firmum et inconcussum permaneat, presentem paginam tam sigillorum nostrorum munimine quam testium qui interfuerunt subscriptione fecimus roborari. Notandum et quod supradicta pecunia supradictis militibus nostro arbitrio non de jure immo pro bono pacis adjudicata, soluta fuit plenarie antequam presens scriptum fuerit sigillorum munimine confirmatum. Testes Salomon de Dunis, Amilius de Baudelo, abbates, Johannes de Axle, Gerardus Albus milites, Willelmus de Hulst, Gossuinus de Beostenblide, presbyteri, et multi alii. Actum in ecclesia de Hulst, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XX<sup>o</sup> VIII<sup>o</sup>, mense novembri.

IV<sup>bis</sup>.

*Carta comitisse quod post confirmationem elemosine sue nihil potest  
requirere a nobis.*

(1231.)

Ego Johanna Flandrie et Hainoie comitissa. Notum facio universis tam presentibus quam futuris, ad quos presens scriptum pervenerit, quod abbas et conventus de Camberone, Cysterciensis ordinis, elemosinam meam per litteras suas secundum voluntatem meam ita confirmaverunt, ut nichil de cetero super dicta elemosina ab eis et a curte de Stoupedich, quam ipsis in puram elemosinam contuli, requirere possim, dum tamen ab eis omnia observentur que in carta eorum super hoc confecta, continetur. In cujus rei testimonium presentes litteras predictae ecclesie contuli sigillo meo munitas. Actum in crastino beate Agathe virginis et marthiris, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> primo.



IV<sup>ter</sup>.*Carta comitisse de theloneo Willelmi de Stadis.*

(Lille, 1251.)

Ego Johanna Flandrie et Hainoie comitissa, notum facio omnibus presentes litteras inspecturis, quod talem elemosinam quam Willelmus de Stadis de theloneo de Rodenbourch, quod ei dedi in feodum fecit ecclesie de Camberone ratam habeo et firmam, promitto et quod tam donationem dicto W. a me factam quam dicte ecclesie elemosinam super theloneo memorato a domino meo comite faciam confirmari. In cujus rei memoriam presentes litteras feci scribi et sigilli mei testimonio confirmari. Datum Insule, sabbatho post Purificationem beate Virginis, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> primo <sup>1</sup>.

## V.

*Sigillum abbatis Clarevallis de concordia de Stoupedich.*

(. . . . . 1254.)

Universis presentes litteras inspecturis frater D. dictus abbas Clarevallis salutem in Domino. Notum facimus universis quod venerabiles de Dunis et de Camberone, coabbates nostri, de consilio seniorum suorum coram nobis unanimiter consenserunt, quod morum et terras de Camberone infra terminos terrarum de Dunis inclusas juxta mare, fratres de Dunis justo precio obtinebunt, sicut in litteris inter utramque ecclesiam super hoc confectis plenius continetur; estimationem vero justi precii infra instans festum beati Remigii facient tres persone ordinis nostri inferius annotate, scilicet frater W. de Hipra, conversus Clarevallensis, frater P. de le Zande, conversus de Dunis, et frater W. conversus de Baudelo. Fuit autem ab utraque parte concessum coram nobis quod priusquam ab hiis conven-

<sup>1</sup> Les deux actes qui précèdent sont barrés dans le cartulaire.

tionibus resiliat, alteri parti xx<sup>ii</sup> libras alborum pro pena solveret indilate. Abbas etiam de Dunis abbatem de Capella filium suum qui est in casu consimili ad idem faciendum debet inducere cum effectu. Preterea morum et terras de Dunis et Capella infra terminos terrarum de Camberone conclusas per eandem justiciarii estimationem fratres de Camberone in posterum possidebunt. Nos vero paci ecclesiarum paterna sollicitudine providere volentes, firmiter injungimus abbatibus et conversis superius memoratis quatenus infra terminum pretaxatum jamdictam taxationem faciat et fieri faciat bona fide. Datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> quarto, feria III<sup>a</sup> post Penthecosten.

## VI.

*Littere de compromissione facta inter abbatem de Camberone et abbates de Dunis et de Capella.*

(Clervaux, 1232.)

Universis presentes litteras inspecturis frater R. dictus abbas de Clara-valle, salutem et sinceram in Domino caritatem. Universitati nostre notum esse volumus quod cum querela verteretur inter ecclesiam de Camberona ex una parte et ecclesiam de Capella ex altera, super quibusdam terris et moro, tempore generalis capituli apud Claramvallem in presentia nostra et abbatis Saviniensis et ceterorum abbatum videlicet Fusniacensis, Valcellensis, Alnensis et abbatum de Los et de Baudelo, de consensu nostro et abbatis de Dunis et partium, compromissum est in venerabiles abbates de Claromarisco et de Villari, qui personaliter accedentes apud Stopeldic<sup>1</sup> diem partibus assignabunt, et considerata valentia et competentia terre et mori ecclesie de Camberona quam abbas de Capella infra aggeres suos inclusit, ipsum abbatem moram et terram equivalentem et loco competenti dicto abbati de Camberon pro moro et terra ejus facient recompensare. De dampnis vero utrinque illatis, competentem facient fieri restitutionem. Preterea sciendum quod si ecclesia de Camberone infra limites qui conti-

<sup>1</sup> *Stopeldic*, c'est là le vrai nom, mais non *Stou-pedyk*. L'endroit s'appelle encore aujourd'hui *Stop-*

nentur in compositione facta per abbates de Valcellis et de Villari aliquam terram habuerit sine more, vel aliquo modo eam habere contigerit, abbas de Capella ab abbate de Camberon secundum majorem terre, si voluerit eam emet, vel equipolentem loco competenti tradet. Similiter si ecclesia de Capella aliquam terram habuerit vel eam aliquo modo habere contigerit infra limites ecclesie de Camberon, ab abbate de Capella secundum valorem terre si voluerit eam emet, vel equipolentem loco competenti tradet. Et si quid questionis occasione compositionis facte per abbates de Valcellis et de Villari quam volumus firmiter observari emiserit per dictos abbates in quos compromissum est terminabitur, ita quod neutra pars a dicto eorum poterit resilire, et talis commutatio fiet de terris inter abbates de Dunis et de Camberona per predictos compromissores. In hujus compromissionis firmiter presentem compromissorio sigillum nostrum cum sigillo abbatis de Dunis et cum sigillis partium duximus apponendum. Actum apud Claramvallem tempore capituli generalis, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> II<sup>o</sup>.

## VII.

*Arbitrium inter ecclesiam de Camberone et ecclesiam de Capella.*

(Stoupedich, 1233.)

Universis Christi fidelibus presentibus et futuris presentem paginam inspecturis fratres S. de Claromaresch et W. de Villari, dicti abbates eternam in Domino salutem. Ad universitatis vestre noticiam pervenire volumus quod cum questio oriretur inter abbatem de Camberona et abbatem de Capella et eorum conventus abbatem de Camberone conqueri tempore capituli generalis apud Claramvallem in presentia domini Clarevallensis et aliorum abbatum presentium quod fratres de Capella, terram suam et morum consensu ejus non requisito indebite aggeribus suis inclusissent partibus in nos de consensu et voluntate patrum ipsorum compromittentibus, injunctum est nobis a venerabili patre nostro abbate Clarevallensi ut easdem querelas compositione vel judicio terminaremus. Accedentes igitur die partibus assignata apud Stoupedic, propositionibus et rationibus partium hinc inde auditis et diligenter ponderatis juris ordine

per omnia observato, arbitrando pronuntiavimus quod totam terram sive cleilant sive moor quod fratres de Camberone in presentiarum possident vel in futurum justo modo possidebunt, infra terminos terrarum de Capella, fratres de Capella eam sub estimatione justii precii ement a fratribus de Camberone, vel equipollentem loco competenti eis tradent, et vendentes tenentur ementibus secundum legem patrie, id est anno et die uno eam garandire. Simili modo omnem terram vel moer quam predicti fratres de Capella in presentiarum possident vel in futurum justo modo possidebunt infra terminos terrarum de Camberone, fratres de Camberone a fratribus de Capella sub estimatione justii precii eam ement vel equipollentem loco competenti eis tradent, observata per omnia predicta garandia. Sunt autem termini inter grangiam de Camberone que Stoupeldic dicitur et grangiam de Capella que dicitur Groda taliter assignati; fratres de Camberone non transibunt in acquirendo terras ultra medium versus dictam grangiam de Capella, et fratres de Capella idem etiam observare tenebuntur quantum ad grangiam de Stoupeldic. Si vero parti alteri infra terminos partis alterius aliquid terrarum vel moer in elemosinam collatum fuerit, licebit parti intra cujus terminos ipsa elemosina comprehenditur sub estimatione justii precii a parte adversa eam comparare. Preterea sciendum quod quecunque terra vel moor in presentia id est anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> III<sup>o</sup> a partibus dicata est, infra cujuscunque partis terminos contineatur non tenebitur pars illa que eam dicavit vendere parti adverse. Hoc nichilominus attendendum est quod fratres de Capella ex nulla parte grangie de Stoupeldic aliquid possunt acquirere infra miliare, excepto medio illo quod jam determinatum est. Fratres etiam de Camberone eundem modum non acquirendi observare tenebuntur quantum ad grangiam de Capella que Groda nominatur. Ut igitur hec omnia perpetuam et inviolabilem habeant firmitatem cyrographum istud confici et tam sigillis nostris quam sigillis partium et sigillo venerabilis patris nostri domini abbatis de Claravalle, necnon et sigillo abbatis de Dunis, quia patres sunt partium fecimus roborari. Actum apud Stoupeldic, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> III<sup>o</sup>.

## VIII.

*Arbitrium inter ecclesiam de Camberone et ecclesiam de Dunis.*

(Stoupedich, 1255.)

Universis Christi fidelibus presentibus et futuris presentem paginam inspecturis, fratres S. de Claromarisco et W. de Villari abbates, eternam in Domino salutem. Ad universitatis vestrae noticiam pervenire volumus quod cum questio oriretur inter abbatem de Camberone et abbatem de Dunis et eorum conventus, abbate de Camberone tempore generalis capituli conquerente apud Claram vallem, in presentia domini Clarevallensis et aliorum abbatum presentium, quod fratres de Dunis terram suam sive mor, consensu ejus non requisito indebite aggeribus suis inclusissent partibus, in nos de consensu et voluntate domini Clarevallensis compromittentibus, injunctum est nobis ab ipso venerabili patre nostro domino Clarevallensi ut easdem querelas compositione vel iudicio terminaremus. Accedentes igitur die partibus assignata apud Stoupedic, propositionibus et rationibus partium hinc inde auditis et diligenter ponderatis, juris ordine per omnia observando, arbitrando pronuntiavimus quod totam terram sive cleitam sive mor quam fratres de Camberone in presentiarum possident vel in futurum iusto modo possidebunt infra terminos terrarum de Dunis, fratres de Dunis eam estimatione iusti precii ement a fratribus de Camberone, vel equipollentem loco competenti eis tradent, et vendentes ementibus secundum legem patrie, id est anno et die uno, tenentur eam garandire. Simili modo omnem terram vel mor quam predicti fratres de Dunis in presentiarum possident vel in futurum iusto modo possidebunt infra terminos terrarum de Camberone, fratres de Camberone a fratribus de Dunis eam sub estimatione iusti precii ement vel equipollentem loco competenti eis tradent, observata per omnia predicta garandia. Sunt autem termini inter grangiam de Camberone que Stopeldic dicitur et grangia de Dunis que Zande dicitur taliter assignati. Fratres de Camberone non transibunt in acquirendo terras ultra medium versus predictam grangiam de Dunis et fratres de Dunis idem etiam observare tenebuntur quantum ad grangiam de Stopeldic. Si vero parti alteri infra terminos partis alterius aliquid ter-

rarum vel mor in elemosinam collatum fuerit, licebit parti, intra cujus terminos ipsa elemosina comprehenditur, sub estimatione justii precii eam a parte adversa comparare. Preterea sciendum quod quecunque terra vel mor in presenti, id est anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> III<sup>o</sup>, a partibus dicata est infra cujuscunque partis terminos contineatur, non tenebit pars illa que eam dicavit vendere parti adverse. Hoc nichilominus attendendum quod fratres de Dunis ex nulla parte grangie de Stopeldic aliquid possunt acquirere infra miliare, excepto medio illo quod jam determinatum est. Fratres etiam de Camberone eundem modum non acquirendi observare tenebuntur quantum ad grangiam que Zande nominatur. Quicquid vero utraque ecclesia in moro sive in terra in parrochia de Hulst possidet in presenti, pacifice teneat in eternum. Super terris vero imbannitis quas fratres de Camberone petebant a fratribus de Dunis quia nullum jus habebant in eisdem terris prout nobis videbatur, imposuimus perpetuum petitoribus silentium. Ut igitur hec omnia perpetuam et inviolabilem obtineant firmitatem cyrographum istud fecimus confici et tam sigillis nostris quam sigillo venerabilis patris nostri abbatis de Claravalle et sigillis partium duximus roborandum. Actum apud Stopeldic anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> III<sup>o</sup>.

## IX.

*Littere de concordia de Stoupedich et de Capella.*

(Stoupedich, ... .. 1255.)

Universis presentibus et futuris presens scriptum inspecturis fratres N. de Dunis et Th. de Bodelo dicti abbates, eternam in Domino salutem. Universitati vestre notum esse volumus quod cum per venerabiles abbates de Villari et de Claromaresch inter grangiam de Camberone que Stopeldic dicitur et grangiam de Capella que Groda vocatur termini essent positi et ordinatum esset inter utramque ecclesiam ut quicquid terrarum vel mor ecclesia de Camberon in presentiarum inter terminos terrarum de Capella legitime possidebat, vel in futurum justo modo possideret, ecclesie de Capella sub estimatione justii precii venderet, et ecclesia de Capella ecclesie de Camberon similiter faceret, sicut in compositione per supradictos ab-

bates facta plenius continetur, partibus postmodum de estimatione precii discordantibus, commissum est a domino Clarevallensi tribus conversis videlicet fratri Willelmo de Ipra, fratri Petro de Sant, fratri Willelmo de Bodelo, quatenus diligenter et rationabiliter considerato valore terre sive mor quam ecclesia de Camberon habebat infra terminos ecclesie de Capella prout bonum et justum sibi videtur precium utriusque et terre videlicet et mor taxarent. Igitur conversi predicti die statuta nobis presentibus apud Stopeldic venientes, partibus in ipsos compromittentibus, coram nobis prudenter ac diligenter considerantes et grave esse judicantes domui de Camberon si totum moer quam habebant infra terminos illorum de Capella eis venderent licet ad hoc tenerentur secundum compositionem prius factam, rogaverunt abbatem de Capella ut unam partem de mor que propinquior est grangie de Stopeldic et jacet circa fundum sive mansuram Symonis Drincwater, ecclesie de Camberon relinqueret, et abbas de Capella pro bono pacis benigne et amicabiliter acquievit, salva nichilominus utramque priori compositionem. Quo facto conversi ulterius procedentes, pro singulis virgis residui mor infra terminos illorum de Capella contenti, xx<sup>ii</sup> quinque solidos, pro singulis mensuris terre dicte triginta tres solidos et quatuor denarios, pro singulis mensuris terre non dicte, xx<sup>ii</sup> solidos ab ecclesia de Capella ecclesie de Camberon debere solvi arbitrando pronuntiaverunt, et tam de terra quam de mor sollempnem donationem et legitimam garantiam secundum legem patrie illis de Capella ab illis de Camberon faciendam judicaverunt. Preterea omnes querelas et injurias que usque ad hunc diem sive inter ipsas ecclesias sive inter personas ad eas pertinenter fuerunt hinc inde caritative remittendas et firmas amicitias de cetero tenendas ordinaverunt et statuerunt. Si quid tamen in posterum ortum fuerit discessionis vel discordie inter eos, quod absit, per nos terminandum esse unanimiter partes consenserunt. Ut igitur omnia ista memorie futurorum firmiter commendentur et a partibus irrefragabiliter observentur, scripto mandari et tam sigillis nostris quam sigillis partium fecimus roborari. Actum apud Stopeldic, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> V<sup>o</sup>, in vigilia beati Barnabe apostoli.

## X.

*Carta J. comitisse de confirmatione thelonei Willelmi de Stadis.*

(Valenciennes, 1254.)

Ego Johanna Flandrie et Hainoie comitissa. Notum facio omnibus presentes litteras inspecturis, quod talem elemosinam quam Willelmus de Stadis, de theloneo de Rodenbore, quod fuit Lamsini de Erlebroc quod eidem W. dedi in feodum, fecit ecclesie de Camberone, ratam habeo et firmam. In cujus rei memoriam presentes litteras feci scribi, et tanquam domina terre sigilli mei testimonio confirmari. Datum Valenchenis in crastino Purificationis beate Virginis, anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> IV.

*En marge* : Confirmatio comitisse Margareta cum hac est ligata.

## XI.

*Sigillum decani Curtracensis de decimis de Hulst.*

(1251.)

In nomine sancte et individue Trinitatis amen. Sigerus decanus totumque capitulum ecclesie beate Marie Curtracensis, universis tam presentibus quam futuris in perpetuum. Noverit universitas vestra quod de assensu venerabilis patris ac domini Walteri, Dei gratia Tornacensis episcopi, et unanimi omnium nostrorum consensu et consilio ecclesie beate Marie de Camberon, ordinis cisterciensis, usque mille et centum mensuras terre territorii de Hulst, omnes decimas fructuum terre ad nos pertinentes, infra quatuor aquas sitas, videlicet Meram, Neptuni mare, Haveltum et Duenum<sup>1</sup>, concessimus in perpetuum possidendas, exceptis in decimis animalium tam bipedum quam quadripedum que ad ecclesiam nostram devolventur, sub tali conditione quod singulis annis in perpetuum xv<sup>ctm</sup> libras

<sup>1</sup> L'acte n<sup>o</sup> XIII, de l'année 1241, porte *Suenum*, c'est-à-dire le Zwyn.



alborum infra octavas Natalis Domini ecclesie nostre, et apud Curtracum persolvere debet. Sciendum autem quod si dicta Camberonensis ecclesia totam terram illam ad presens dicare<sup>1</sup> potuerit, sive non, si etiam terra illa tota vel ex parte fluctibus marinis (quod absit) fuerit operta, sive non, vel quicquid terre eidem contigerit, censum nichilominus prescriptum nobis ex integro persolvat. Preterea quicumque infra prefatos aquarum terminos terras possederit vel dicaverit, decimas ad nos spectantes usque mille et centum mensuras terre, decimas videlicet fructuum terre tantum, dicte Camberonensi ecclesie persolvat. Ad hec quoque si prefata ecclesia terras aliquas adquisierit de terris illis que decimas alia vice ad recordationem bonorum virorum solverunt, decimas nobis integre persolvat, nisi aliter nobiscum de voluntate nostra composuerit. De illis vero terris que de novo ad culturam redacte fuerint per ipsam ecclesiam vel dicat, ne de decimis illis enormiter ledamur de mera liberalitate sua secundum valorem xv librarum predictarum proportionaliter censum nobis annuatim persolvat, ita quod per hanc gratiam nullum suis privilegiis que de novalibus loquuntur prejudicium generetur. Super hiis quoque si aliqua in posterum controversia exorta fuerit inter nos, omni appellatione remota in viros venerabiles, episcopum, decanum et archidiaconum Tornacenses compromissimus, interposito juramento, sub pena etiam centum marcarum parti alteri ab illa parte que resilierit solvendarum, ut quicquid illi concordarint, vel episcopus cum eorum altero dictam habendo pre oculis compositionem vel arbitrio dixerint, hinc inde in perpetuum observetur. Ceterum quicumque memoratam ecclesiam super predictis decimis in causam traxerit, tuitionem et garandiam talem eidem exhibebimus quod ubicunque eidem ecclesie placuerit, omne consilium et auxilium pro posse nostro laturi, cum eis pargennis, salvis tamen expensis nostris. Ut autem hec omnia rata et inviolata in perpetuum perseverent, presentem paginam scribi fecimus et sigillis utriusque ecclesie roborari. S. Sigeri decani et ceterorum. Datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XXX<sup>o</sup> primo, feria iv<sup>ta</sup> infra Penthecosten.

<sup>1</sup> *Dicare*, indiguer.

## XII.

*Carta Curtracensis ecclesie de eisdem decimis.*

(.. ..... 1240-1241.)

Nos decanus et capitulum Curtracense notum facimus universis, quod cum inter nos ex una parte et ecclesiam Camberonensem ex altera, controversia suborta esset super eo quod nos decanus et capitulum petebamus decimas sexaginta mensurarum terre site in ministerio de Hulst infra quatuor aquas scilicet Meram, Neptuni mare, Haveltum et suenum terre inquam veteris que alia vice culta fuit, cujus terre dicte decimam dictam Camberonensis ecclesia tenebat et tenuerat a sedecim annis ultra mille et centum mensuras terre a nobis ipsi ecclesie Camberonensi concessas sub annuo censu quindecim librarum Flandrensium, sicut dicebamus. Item super eo quod petebamus censum trecentarum mensurarum terre nove in ea proportione ad trecentas qua se habet census quindecim librarum ad mille et centum mensuras terre. Tandem super dictis querelis et omnibus attingentibus dictas querelas et etiam de decimis animalium nostrorum, in dicto ministerio commorantium et omnibus aliis controversiis habitis in die hodierna compromisimus de alto et basso, in magistros Johannem de Martis Vico, canonicum Insulensem, et Egidium de Tornaco sub pena centum marcarum sterlingorum legalium et novorum parti tenenti arbitrium a parte que contravenerit reddendarum. Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup>, feria secunda post Purificationem beate Virginis.

## XIII.

*Item carta Curtracensis ecclesie de quo supra.*

(Mai 1241.)

Nos decanus et capitulum Curtracense notum facimus universis quod cum inter nos ex una parte et abbatem et conventum Camberonensem ex altera controversia suborta esset, super eo quod nos petebamus decimam

**LX<sup>ta</sup>** mensurarum terre site in territorio de Hulst infra quatuor aquas videlicet, Meram, Neptuni mare, Haveltum et Suennum, terre inquam veteris que alia vice culta fuit, cujus terre dicte decimam ipsi Camberonenses tenebant et tenuerant a sedecim annis ultra mille et centum mensuras terre ipsis Camberonensibus a nobis concessas sub annuo censu xv librarum ut nos dicebamus. Item super eo quod nos petebamus censum trecentarum mensurarum terre nove, in ea proportione ad trecentas qua se habet census xv librarum ad mille et centum mensuras terre. Tandem super dictis querelis et omnibus attingentibus dictas querelas, et etiam de decimis animalium ipsorum Camberonensium in ministerio de Hulst commorantium et omnibus aliis controversiis habitis inter nos et ipsos usque in diem hodiernum compromisimus de alto et basso in Johannem de Marvis, canonicum Insulensem, et Egidium de Tornaco magistros sub pena centum marcharum sterlingorum novorum et legalium ad pondus trecense parti servanti dictum eorum a parte que contravenerit reddendarum, et facta fuit compromissio hec per procuratorem nostrum et procuratorem abbatis et conventus Camberonensis, predictorum habentes super hoc speciale mandatum. Dicti vero arbitri in se onere arbitrando suscepto, dictum suum pertulerunt hoc modo, quod dicti Camberonenses a prestatione decimarum novalium terrarum in perpetuum remanebunt immunes, pensionem vero quindecim librarum quas pro decima mille et centum mensurarum terre dicti Camberonenses reddebant nobis annuatim dicti arbitri in XL<sup>ta</sup> solidos augmentarunt, ita quod in universo dicti Camberonenses reddent nobis annuatim decem et septem libras Flandrensi Curtraci infra octavas Nativitatis Domini. Dixerunt etiam quod si infra predictos terminos aliquas terras veteres dictos Camberonenses possidere ad presens vel acquirere ibi vel alibi in ministerio de Hulst contingeret in futurum ultra dictas mille et centum mensuras que secundum recordationem bonorum virorum alias dicte fuerint exinde decimas integras percipiemus, dixerunt et quod de mensuratione terrarum predictarum excipientur, ulisci et lacus de quibus non est memoria quod fuerant exculi et etiam sicci non cadent in numerum mensurarum. Dixerunt etiam quod dicti Camberonenses de animalibus suis nullam decimam nobis solvent sed si animalia sua concederent aliis nutrienda infra ministerium de Hulst nos decimam percipiemus de portione partionarii non de Camberonensibus. Dixerunt et quod si illa

terra predicta tota vel in parte fluctibus marinis, quod absit, fuerit operta sive non, vel quicquid eidem terre contigerit dicti Camberonenses censum nichilominus nobis persolvent supradictum. Dixerunt et quod si aliqui carte vel cyrographi essent confecte vel confecti inter nos et ipsos Camberonenses super premissis nullam obtinerent de cetero firmitatem, et nos hoc dicto omnibus cartis et omnibus aliis instrumentis ab isto renuntiavimus expresse et laudavimus in omnibus et per omnia dictum arbitratorum. Nos et Johannes et Egidius arbitri supradicti onere arbitrandi in nos suscepto dictum nostrum pertulimus prout superius est expressum. In cujus rei perpetuam firmitatem una cum sigillo Curtracensis ecclesie sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> primo, mense maio.

## XIV.

*Carta Johannis et Theoderici de Herberlant.*

(1240.)

Universis presentes litteras inspecturis notum facimus nos Johannes et Theodericus filii Elwodi de Wininghe qui Johannes et Arnulphus filii Hamonis de Hollandie consanguinei nostri quicquid in terra de Herbersant et de Blomesant juris habebant et habere poterant cum omnibus appendiciis suis vendiderunt ecclesie de Camberone, werpientes quicquid in dictis locis juris habebant et habere poterant cum omnibus appendiciis et reportantes omnia predicta in manus comitis Hollandie ad opus dicte ecclesie; dictus vero comes omnia premissa in manus prefate ecclesie in elemosinam reportavit coram hominibus suis, ab eadem ecclesia jure perpetuo possidenda. Nos autem Johannes et Theodericus obligavimus nos coram scabinis de Hulst, ad garandiendum dicte ecclesie omnia prenotata, quamdiu dicti consanguinei nostri vixerint contra omnes homines qui venire voluerint ad legem patrie; dicti vero J. et Ar. consanguinei nostri promiserunt quod Hugelinum Kempe fratrem suum dictam venditionem et werpitionem laudare facient, et ad hoc etiam faciendum, fidejussores constituimus nosmetipsos, et quia sigilla propria non habemus sigillum

domini Wetteri de Axelle et sigillum domini Wilhelmi de Ewrengchien, dilectorum nobis militum, presentibus litteris appendi fecimus. Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup>.

## XV.

*Carta Walteri de Axele et Oliveri de eodem.*

(1240.)

Universis presentes litteras visuris notum facimus ego Walterus de Axele miles et ego, Oliverus nepos ejusdem W., quod Johannes et Theodericus filii Elwodi de Wininghe, consanguinei nostri, quicquid juris habebant et habere poterant in terra de Herbersant et de Blomesant cum omnibus appendiciis suis vendiderunt ecclesie de Camberon et werpierunt et reportaverunt omnia premissa in manus procuratoris dicte ecclesie coram scabinis de Hulst et de Axele, qui procurator omnia predicta recepit ad opus ecclesie memorate. Nos vero fide jussimus et obligavimus nos ipsi ecclesie warandire omnia premissa, quamdiu vixerint prefati J. et Th., contra omnes homines qui ad legem patrie venire voluerint. Ut autem hec rata permaneant, ego W. miles presentibus sigillum meum apposui. Ego vero Oliverus, quia proprium sigillum non habeo, sub eodem sigillo me comprehendo promittens quod quam cito proprium sigillum habuero, presentibus illud apponam, et ad hoc faciendum, dictum dominum W. meum constituo fidejussorem, et ego etiam W. plegium me constituo ad hec fideliter observanda. Actum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup>.

## XVI.

*Carta comitis Hollandie de terra de Herbersant.*

(Middelbourg, mai 1240.)

Ego Willelmus, comes Hollandie, notum facio universis presens scriptum inspecturis, quod Johannes filius Henrici Hollanders qui terram que vocatur Herbersant et Blomesant, sitam in parrochia de Ossenesse cum appen-

ditiis suis, a me tenebat in feodum in presentia mea et hominum meorum ad hoc convocatorum dictam terram in manus meas reportans werpivit ad opus ecclesie Camberonensis, recognoscens se nichil juris habere in dicta terra nisi ratione dumtaxat homagii quod mihi ascribebat in hac parte, et similiter Arnulphus frater ipsius Johannis, Theodericus quoque et Johannes filii Elewoldi patru dicti Johannis filii Henrici omne jus quod eis competeat vel competere poterat in dicta terra in manus meas werpierunt. Ego vero in remissionem peccatorum meorum, matris mee et pro anima patris mei et predecessorum meorum, dictam terram cum appendiciis ejus eidem ecclesie Camberonensi in puram elemosinam contuli perpetuo libere possidendam. Hec omnia facta fuerunt Middelborch coram hominibus meis talibus tot et tantis quanto ad hoc faciendum et confirmandum sufficiunt secundum legem et consuetudinem patrie, et quia sigillum proprium non habeo, presens scriptum sigillo matris et domine mee Mathildis, comitisse Hollandie, feci muniri. Datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup>, mense maio.

## XVII.

*Carta comitis et comitisse Hollandie de eodem.*

(Août 1242.)

Ego Willelmus comes Hollandie notum facio universis presens scriptum visuris, quod Johannes filius Henrici Hollanders, qui terram que vocatur Herbersant et Blomesant, sitam in parrochia de Ossenesse, cum appendiciis suis a me tenebat in feodum, in presentia mea et hominum meorum ad hoc convocatorum, dictam terram in manus meas reportans werpivit ad opus ecclesie Camberonensis, recognoscens se nichil juris habere in dicta terra, nisi ratione dumtaxat homagii quod mihi ascribebat in hac parte, et similiter Arnulfus frater ipsius Johannis, Theodericus quoque et Johannes filii Elewoldi patru dicti Johannis filii Henrici, omne jus quod eis competeat vel competere poterat in dicta terra, in manus meas werpierunt. Ego vero in remissionem peccatorum meorum et matris mee, et pro anima patris mei et predecessorum meorum, dictam terram cum appendi-

ciis ejus, eidem ecclesie Camberonensi in puram elemosinam contuli perpetuo libere possidendam. Hec omnia facta fuerunt Middelbore coram hominibus meis talibus tot et tantis quales quot et quanti ad hoc faciendum et confirmandum sufficiunt ad legem et consuetudinem patrie. In cujus rei memoriam et perpetuam firmitatem, presens scriptum sigilli mei et sigilli karissime matris mee Mathildis, comitisse Hollandie, feci munimine roborari. Datum anno Dominice Incarnationis M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> II<sup>o</sup>, mense augusto.

## XVIII.

*Carta qua domus de Camberone et de Boudelo possit emere possessiones vicinas curtibus suis.*

(1245.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis frater B. dictus abbas de firmitate totusque conventus abbatum capituli generalis salutem in Domino sempiternam. Noveritis quod pensata et plenius intellecta utilitate domorum de Camberone et de Boudelo concessimus abbatibus earumdem domorum, ut cum facultas se obtulerit, libere possint emere terras arabiles secularium, vicinas grangiarum suarum de Stouppedich et de Lamsuert, non obstante statuto capituli generalis. Datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> tercio, abbate Cisterciensi nondum de captivitate reverso.

## XIX.

*Sigilla abbatum de Valcellis, de Dunis et de Villari quod emere possumus possessiones secularium.*

(1245.)

Universis presentes litteras inspecturis fratres de Valcellis et N. de Dunis atque Ar. de Villari dicti abbates, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod concessum fuit in capitulo generali venerabilibus patribus de

Camberone et Boudelo abbatibus, pensata et plenius intellecta utilitate domorum eorundem, ut, cum facultas se obtulerit, libere possint emere possessiones . . . . . vicinas et circa grangias suas de Stoppedich et de Lambsuert non obstante statuto capituli generalis. In cuius rei testimonium et munimen presentes litteras sigillorum nostrorum appensione duximus munendas. Datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> III<sup>o</sup>, domino W. abbate Cisterciensi nondum de captivitate reverso.

## XX.

*Carta M. comitisse de molendinis de Hulst.*

(Novembre, 1254.)

Nous Margerite, contesse de Flandres, faisons asavoir a tous ke teus convenance est faite entre nous dune part, et le glise de Camberon dautre part, dendroit un molin ke cele eglise doit faire a Hulst a deus paire de mueles et deus paire de roes et ce kil i affiert, et au coust del eglise de carpentage et de tous ouvrages et de toutes choses quil convient au molin, fors mis liretage del siege dou molin, et aucunes terres sil en convenoit achater par assembler iawe plus kel nen ia ores a la souffissance dou molin, et leskelveringhe ki ira entour le iauwe et le foage dou siegie dou molin et sil ia nul maison seur celi terre, ou li molins doit estre achater le doit on et de ces choses fors mises, doit li glise devant dite paier lune moitie et nous lautre, et cel molin doit li glise si com dit est a son coust tout faire de neuf souffissant et rendre moulant. Et puiske il sera ensi fais il doit iestre retenus au commun coust de nous et de leglise devant dite deseure xx saus, et de toutes menues oevres de xx saus et de mains doit li devant dite glise retenir le molin a son coust loiaument en boinne foi quant eles i fauront et a tans et a eure, et ce molin doit leglise retenir de mosnier et de gardes a son coust. Et de tous les proufis ki de cel molin venront devant nous avoir la moitie nous et nostre oir conte de Flandres, et leglise devant dite lautre moitie perpetuellement, et les gardes et li mosnier de ce molin lesqueus leglise i doit metre doivent jurer quant eles les i metera cil ki la seront, et a chiaus ki de religion seront, doit li abbes commander en vertu dobe-



diense quil garderont nostre partie de ces proufis ensi com deseure est dit, et le renderont bien et loiaument a nostre commandement. Et leur avons otroie ke le ble quil i morront por le pain de couvent de leur court de Stoupedich doivent morre sains molture sil navenist en aucun tans ke abeie i fust faite, et se ele i estoit faite et ele i mouloit ble pour le couvent nous i auriemes nostre molture ensi com as estranges. Et avons octroie a leglise devant dite, ke dedens la vile de Hulst nous ne autres ne poons faire molin novel de auwe ne a vent, sans lassens de nous et de leglise devant dite, sil navenoit chose ke li molins devant dis ne peust souffire au mosnage de la vile de Hulst, et sil ni pooit souffire, et il i convenist encore faire molin, faire i doit li glise devant dite molin ou molins a souffisance, et devons nous et nostre oir paier le tierce part et li glise les deux pars de ce quil coustera ou cousteront de le premiere faiture, et des dont en avant retenir les doit on ensi com le molin deseure dit, et i devons avoir auteil droiture comme el molin devant nommeit. Et ces molins devant dis nous ne nostre oir ne poons aliener en nule maniere, fors sil avenoit ke nous le vosissiens vendre a iretage pour autretant ke nous en porriens avoir les devons nous donner a leglise devant dite se ele les vicut avoir, et se ele ne les voloit avoir, nous en porriens faire notre preut, et si devons faire tenir le franc mosnage ensi com nostre eschevin de Hulst lont jugie por nous et pour leglise. Et pour cou ke toute ceste covenance ensi com ele est deseure escrite et devisee soit ferme et estable, nous avons ces presentes lettres confermees de nostre saiel. Ces lettres furent donnees lan del Incarnation Nostre-Seigneur Jhesu-Crist mil CC LIV, el mois de novembre.

(Cet acte est barré dans le Cartulaire, et on lit en marge le mot *vacat*.)

## XXI.

*Carta comitisse M. et comitis Guidonis de molendinis de Hulst.*

(Juillet, 1237.)

Nous Margerite, contesse de Flandres et de Hainau, et je Guis ses fuis cuens de Flandres, faisons savoir a tous ciaux ki ces lettres veront et oront

ke teus convenance est faite entre nous dune part et le glise de Cambron dautre part, dendroit deus molins a auwe ke cele glise a fais a Hulst a deus paire de mueles et a deux paire de roes chascun molin, desquels molins li uns siet sour le havene en le vile de Hulst et lautres siet entre Hulst et Estoppeldich, lesquels molins li glise devant dite a fais faire a son coust fors ke daucunes coustenges ke nous i avons mises pour achater aucun iretage pour le siege des molins et pour auwe asambler et del eskelveringe del molin ki siet sour le havene en le vile de Hulst, et fors les coustenges dou widage del havene de Hulst ke nous paiames et de ces molins deseure dis et la convenance tele entre nous dune part et le glise deseure dite dautre, ke li glise devant dite doit ces molins deseure dis retenir de toutes menues oevres ki monteront dusques a xx sols et de mains a son coust, et le doit faire loiaument en bonne foi quant elles i fauront et a tans et a eure, et de toutes les coustenges ki monteront deseure xx sols, doit on faire a commun coust de nous et de le glise de Cambron cest a savoir ke nous en devons paier le moitie et li glise de Cambron lautre, et devons avoir nous et nostre oir, conte de Flandres ou contesses, perpeltuellement le moitie des proufis ki de ces molins venront et li glise lautre, fors ke des pescherries desqueles nous et nostre oir, conte de Flandres ou contesses, devons avoir lune cest a savoir del molin ki siet en le vile de Hulst et li glise de Cambron de lautre, ki siet entre le vile de Hulst et Stoupeldich et ces molins deseure dis doit li glise de Cambron retenir de mosniers et de gardes a son coust et les wardes, et li mosnier de ces molins lesquels li glise devant dite i doit metre; se eles sont laies persones, eles doivent jurer quant on les i metera, et se eles sont de religion li abbes leur doit commander en vertu dobediense ke il garderont nostre partie des proufis des molins ensi com deseure est dit, et renderont bien et loiaument a nostre commandement, et avons octroie a le glise devant dite que le ble kil morront por le pain dou couvent de le court de Stoupedich et pour lor maisnie de celi court doivent morre sans molture, sil navenist en aucun tans ke abeie i fust faite, et se ele i estoit faite et ele i moloit nous i auriemes nostre partie de la molture ausi com des estranges gens. Et si est a savoir ke li tortoirs ki est deleis le molin ki siet entre la vile de Hulst et Stoupedich est tous et demeure tous a leglise de Cambron et a celui tortoir ne devons nous prendre nul proufit ne metre nule coustenge, et avons otroie a leglise de

Cambron ke dedens la franchise de la vile de Hulst nous ne autres ne poons faire molin novel dauwe ne de vent, sans lassens de le glise devant dite ne li glise sans le nostre se il navenoit chose ke li molin devant dit ne peussent souffire au mosnage de la vile de Hulst et sil ni pooient souffire et i convenist faire molin ou molins, faire les i doit li glise devant dite tant quil en i ait a souffisance. Et de ces molins ke li glise i convenroit faire dore en avant devons nous et nostre oir, conte de Flandres ou contesses, paier la tierce partie des coustenges de la premiere faiture et li glise les deux parties et des dont en avant les doit li glise retenir ensi com les molins deseure dis, et devons nous et nostre oir, conte de Flandres ou contesses, avoir la moitie des pourfis de ces molins ke on feroit ensi com es molins deseure dis. Et ces molins deseure nommeis et autres se on les i faisoit si cum dit est devons nous et nostre oir, conte de Flandres ou contesses, retenir a notre ves et nient alier ne metre en autre main en nule maniere fors ke de tant sil avenoit ke nous les vousissiens vendre a iretage faire le poons et pour autant ke nous en porriens avoir les devons nous donner a leglise devant dite se ele les vieut avoir, et se ele ne les vieut avoir nous poons de la nostre partie faire nostre preu, et si devons faire tenir le franc mosnage perpetuellement ensi com nostre eschevin de Hulst lont jugie pour nous et pour le glise devant dite. Et pour ce ke toute ceste convenance ensi coume ele est deseure escrite et devisee soit ferme et estable, nous avons ces presentes lettres confermees de nos saiaus. Ce fu fait lan del Incarnation Nostre-Seigneur Jhesu-Crist mil CC LVII, el mois de julie.

(Également barré.)

XXII.

*Sigillum ballivi de Gant, quod vendidit nobis IX mensuras terre C et XXVI virgas ex parte comitisse.*

(Septembre 1261.)

Jou Giles de Machelines, chevaliers baillius de Gant, faz savoir a tous chiaus ki ces lettres veront et oront, ke Arnous de Dorpe et sa femme, par counissance des eskevins del offisce de Hulst, Jon le Touve, Watier le Fevre et Jakemon del Chinge, misent et dounerent en gages ens es mains

